FLORA GRÆCA Sibthorpiana.

CENTURIA TERTIA.

1819.

MONS OLYMPUS BITHYNUS, cum BURSÂ URBE.

FLORA GRÆCA:

SIVE

PLANTARUM RARIORUM HISTORIA,

QUAS

IN PROVINCIIS AUT INSULIS GRÆCIÆ

LEGIT, INVESTIGAVIT, ET DEPINGI CURAVIT,

JOHANNES SIBTHORP, M. D.

S. S. REG. ET LINN. LOND. SOCIUS,

BOT. PROF. REGIUS IN ACADEMIA OXONIENSI.

HIC ILLIC ETIAM INSERTÆ SUNT

PAUCULÆ SPECIES QUAS VIR IDEM CLARISSIMUS, GRÆCIAM VERSUS NAVIGANS, IN ITINERE, PRÆSERTIM APUD ITALIAM ET SICILIAM, INVENERIT.

CHARACTERES OMNIUM,

DESCRIPTIONES ET SYNONYMA,

ELABORAVIT

JACOBUS EDVARDUS SMITH, EQU. AUR. M. D.

S. S. IMP. NAT. CUR. REG. LOND. HOLM. UPSAL. PARIS. TAURIN. OLYSSIP. PHILADELPH. NOVEBOR. PHYSIOGR. LUND. BEROLIN. PARIS. MOSCOV. GOTTING. ALIARUMQUE SOCIUS;

SOC. LINN. LOND. PRÆSES.

VOL. III.

LONDINI:

TYPIS RICHARDI ET ARTHURI TAYLOR.

VENEUNT APUD PAYNE ET FOSS, IN VICO PALL-MALL.

MDCCCXIX.

Convolvulus Dorycnium.

Convolvulus lanatus.

PENTANDRIA MONOGYNIA.

TABULA 201.

CONVOLVULUS DORYCNIUM.

Convolvulus foliis lanceolatis villosis sessilibus, caule paniculato dichotomo divaricato, calycibus obtusis cum mucrone.

C. Dorycnium. *Linn. Sp. Pl.* 224. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 871. *Lamarck. Dict. v.* 3. 548.

C. ramosus incanus, foliis Pilosellæ. *Tourn. Inst.* 84.

Prope Caneam in insulâ Cretâ, et ad vias circa Corinthum. ♄.

Radix lignosa, tortuosa, perennis. *Caules* suffruticosi, teretes, villosi, foliosi; basi parùm ramosi; supernè paniculati, ramosissimi, dichotomi, divaricati, sericei, multiflori, aphylli. *Folia* pauciora, biuncialia, alterna, sessilia, patentia, lanceolata, obtusiuscula, repanda; utrinque villosa; subtùs pallidiora; basi angustata. *Flores* solitarii, subsessiles, e dichotomiâ caulis, vel in ramulorum apicibus, lateribusque, subracemosi. *Bracteæ* exiguæ, lanceolatæ, binæ sub singulâ dichotomiâ. *Pedicelli* calyce duplò vel triplò breviores. *Calyx* parvus, subsericeus, demùm glabratus, foliolis obovatis, quandoque retusis, cum mucronulo crasso. *Corolla* uncialis, vel major, pulchrè rosea; plicis saturatioribus, dorso pilosis; tubo flavescente. *Stamina* vix corollæ adnata. *Stigmata* linearia. *Capsula* parva, obovata, rufa, glabra.

a. Calyx cum fœcundationis organis.
b. Corolla arte expansa.
c. Capsula matura.
d. Semen seorsìm.

TABULA 202.

CONVOLVULUS LANATUS.

Convolvulus foliis lanceolatis tomentosis sparsis, caule fruticoso erecto; ramis spinescentibus, capitulis axillaribus villosis.

C. lanatus. *Vahl. Symb. v.* 1. 16. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 871.

C. Cneorum. *Forsk. Ægypt.-Arab.* 63 *et* 106; ex ipso auctore.
C. orientalis humilis argenteus latifolius erectus et villosus. *Tourn. Cor.* 1.

In Cretæ collibus siccis. ♄.

Caulis bipedalis, fruticosus, ramosissimus, erectus; ligno duro; cortice suberoso; ramulis erectis, strictis, teretibus, villosis, foliosis, multifloris, subspicatis; anno insequente divaricatis, denudatis, incanis, spinescentibus, pungentibus. *Folia* alterna, subsessilia, erectiuscula, uncialia, elliptico-lanceolata, obtusa, integerrima; utrinque densè tomentosa, glauco-albida; subtùs venosa: inferiora petiolata, basi angustata. *Capitula* axillaria, pedunculata, bracteata, foliis breviora. *Bracteæ* ovatæ, glaucæ, pilosissimæ, vix calycem superantes. *Calycis* foliola ovato-lanceolata, obtusa, villosissima. *Corolla* uncialis, vel major, alba, subdiaphana; plicis extùs purpurascentibus, villosis; tubo dilutè flavescente. *Stamina* medio tubo inserta. *Stigmata* linearia.

a. Bractea.
b. Calyx cum pistillo.
c. Germen, stylus, et stigmata.
d. Corolla expansa, cum staminibus.

CAMPANULA.

Linn. Gen. Pl. 88. *Juss.* 164. *Tourn. t.* 37. *Gærtn. t.* 31.

Corolla campanulata, fundo clauso valvis staminiferis. *Stigma* trifidum.
Capsula infera, poris lateralibus dehiscens.

---

* *Foliis lævioribus.*

TABULA 203.

CAMPANULA SPATULATA.

Campanula pubescens, foliis inferioribus spatulatis crenatis; superioribus lanceolatis, caule subunifloro, calyce dentato.

In Olympo Bithyno, et Parnasso, montibus. ♃?

Radix fortè annua vel biennis, gracilis, tortuosa. *Caulis* solitarius, adscendens, vix spi-

Campanula spatulata.

Campanula ramosissima ℒ.

thamæus, plerumque simplex, foliosus, angulatus, plùs minùs pilosus; rarissimè ramum unum vel alterum exerens. *Folia* alterna, uncialia, venosa, pilosiuscula; inferiora petiolata, abbreviata, spatulata, obovata, vel subrotunda, crenata, reflexo-patentia; superiora lanceolato-oblonga; summa lineari-subulata, acuminata, glabriora et ferè integerrima. *Flos* solitarius, terminalis, pedunculatus, ebracteatus, erectus, cæruleus, *Campanulæ patulæ* formâ similis, at magnitudine paulò minor. *Calycis* laciniæ corollâ parùm breviores, lineari-subulatæ, erectæ, trinerves, vel utrinque pilosæ, vel margine tantùm scabriusculæ, basi utrinque bi- vel tri-dentatæ, persistentes. *Corolla* affabrè campanulata, limbo acutè quinquefido, patulo. *Stamina* cum *valvulis* dilutè purpurea, glabra, ut et *stylus* cum *stigmatibus*. *Antheræ* flavæ, stylo duplò breviores. *Pollen* cærulescens. *Germen* turbinatum, pentagonum. *Capsula* sphæroidea, decemcostata, calyce coronata.

C. patulæ quam maximè affinis, at, ni fallor, distincta; caule plerumque simplicissimo, unifloro; foliis rotundioribus; dentibus calycinis paucioribus, minùsve conspicuis; fructu subgloboso, nec turbinato. *C. pulla*, Jacq. Austr. t. 285, a nostrâ differt, radice repente, floreque nutante, cui calyx integerrimus est.

a. Calyx cum staminibus et pistillo, demptâ corollâ.
B. Stamina magnitudine aucta, cum polline copiosissimo, cærulescente, in stylum delapso.

TABULA 204.

CAMPANULA RAMOSISSIMA.

Campanula glabriuscula, foliis serratis lanceolatis; infimis obovatis, caule ramosissimo multifloro recto pentagono.

Ἀγρια Γελιὰ *Zacynth.*

In Olympo Bithyno, et Parnasso, montibus; etiam in insulâ Zacyntho. ⊙.

Radix annua, parva, ramosa. *Caulis* solitarius, vix spithamæus, erectus, foliosus, multiflorus, angulosus, angulis scabriusculus, e basi ramosissimus, ramis alternis, patentibus, subdivisis. *Folia* uncialia, alterna, lanceolato-oblonga, patentia, laxiùs serrata; basi angustata, integerrima; utrinque lævia, venosa; margine tantùm scabriuscula: summa angustata; infima dilatata et abbreviata, ferè petiolata. *Flores* cæruleo-violacei, terminales, solitarii, longiùs pedunculati, erecti, *pedunculis* angulosis, glabris vel scabriusculis, ebracteatis. *Calycis* laciniæ patentissimæ, lineari-lanceolatæ, trinerves; basi subdentatæ; margine præcipuè scabræ; persistentes, et demùm ferè unciales evadentes. *Corolla* ultra medium quinquefida, patentissima; tubo brevi, pallido; limbo planiusculo, vix calycis longitudine; post anthesin contracta et convoluta, persistens.

Stamina in tubo latentia, flava, glabra. *Germen* turbinatum, angulatum, plùs minùs pilosum. *Stylus* staminibus duplò altior, pubescens. *Stigmata* erecta. *Capsula* turbinata, decangularis, costis setosis.

a. Calyx cum staminibus et pistillo.
B. Stamina cum stylo, duplò aucta.
C. Portio caulis, triplò ferè aucta.
d. Fructus maturus, calyce persistente, ut et corollâ, coronatus.

TABULA 205.

CAMPANULA PERSICIFOLIA.

Campanula foliis radicalibus obovatis; caulinis lanceolato-linearibus subserratis sessilibus remotis, caule simplici racemoso.

C. persicifolia. · *Linn. Sp. Pl.* 232. *Fl. Suec. ed.* 2. 66. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 897. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 346. *Fl. Dan. t.* 1087. *Bulliard Herb. de la Fr. t.* 367. *Ger. Em.* 451. *Lob. Ic.* 327.

C. Persicæ folio. *Tourn. Inst.* 111. *Clus. Hist. v.* 2. 171.

C. media. *Dod. Pempt.* 166.

In sylvis umbrosis Bithyniæ, Olympum versùs; etiam in monte Athô, et prope Byzantium. 2.

Radix perennis, cæspitosa, subrepens, albida. *Caules* annui, erecti, stricti, bi- vel tripedales, simplices, foliosi, teretes, glaberrimi. *Folia* radicalia plurima, longiùs petiolata, obovata vel elliptico-oblonga, venosa, crenata, uncialia; caulina numerosa, sparsa, patentissima vel subdeflexa, sessilia, ferè linearia, acuta, denticulato-serrata, semipedalia; omnia saturatè viridia, nitida, glaberrima. *Flores* pauci, cærulei, in racemo simplice, terminali, erecto, folioloso. *Pedicelli* breves, glabri. *Calyx* patens, laciniis lineari-lanceolatis, acuminatis, integerrimis, trinervibus, glabris, haud uncialibus. *Corolla* calyce duplò longior, latè campanulata, subinflata, lævigata, nitida. *Stamina* parva, valvulis purpurascentibus. *Germen* turbinatum, decemcostatum, setoso-hirtum. *Stylus* cylindraceus, lævis, purpureus, longitudine tubi corollæ. *Stigmata* albida, patentia. *Capsula* obovata, calyce aucto coronata, reticulata, decemcostata, plùs minùs hispida, poris tribus, orbicularibus, magnis, lateralibus.

In hortis Europæis frequens est, imprimis flore pleno, sæpè niveo, pulcherrimo. Hallerus in Hist. Stirp. Helvet. v. 1. 309, sub numero 697, hanc cum *C. patulâ,* ibid. n. 698, notis et observationibus confudit.

a. Flos, corollâ orbatus, magnitudine naturali.

Campanula persicifolia?

Campanula graminifolia?

Campanula versicolor.

TABULA 206.

CAMPANULA GRAMINIFOLIA.

Campanula foliis linearibus integerrimis, caulibus simplicibus, capitulis solitariis terminalibus, bracteis recurvis.

C. graminifolia. *Linn. Sp. Pl.* 234. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 902.

C. alpina, Tragopogi folio. *Bauh. Pin.* 94. *Tourn. Inst.* 110.

Trachelium Tragopogi folio, montanum. *Column. Phyt. v.* 2. 25. *t.* 26. *ed.* 2. 118. *t.* 34. *Bauh. Hist. v.* 2. 802.

T. minus gramineum cærulo-violaceum. *Barrel. Ic. t.* 332.

In insulâ Zacyntho. ♃.

Radix cylindraceo-fusiformis, fuscescens, lactifluus, multiceps, perennis. *Caules* plures, herbacei, adscendentes, spithamæi, simplices, teretiusculi, foliosi, subindè piloso-scabri. *Folia radicalia* plurima, cæspitosa, patentia, graminea, triuncialia, linearia, acuta, angusta, integerrima, plana, glabra, nitida; basi ciliata: *caulina* alterna, paulò latiora atque breviora; apice recurva; basi dilatata, semiamplexicaulia; margine sæpè scabra. *Capitulum* terminale, subseptemflorum, sessile, *bracteis* pluribus, foliaceis, imbricatis, recurvis; basi dilatatis, ciliatis, nervosis; obvallatum. *Flores* breviùs pedicellati, erecti, conferti, elegantèr cærulei. *Calycis* laciniæ erectiusculæ, lanceolatæ, integerrimæ, carinatæ, subrevolutæ, scabræ. *Corolla* angustè campanulata; tubo ferè cylindraceo, pubescente, unciali, calyce duplò longiori; limbo patente-recurvo, acuto, semiunciali. *Stamina* alba, parva. *Germen* parvum, hemisphæricum, costatum, glabrum. *Stylus* clavatus, tubo aliquantulùm longior. *Stigma* bifidum.

a. Calyx germine suffultus.
b. Stamina et pistillum seorsìm.

TABULA 207.

CAMPANULA VERSICOLOR.

Campanula foliis cordatis serratis lævibus, thyrso terminali, laciniis calycinis subulatis, corollâ rotato-patulâ.

C. versicolor. *Andr. Repos. t.* 396. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 347.

Χαριτζιὰ *hodiè.*

Prope Thessalonicam. ♃.

Radix perennis, tuberosa, albida, apice subdivisa. *Caules* herbacei, erecti, bipedales vel altiores, simplices, crassiusculi, teretes, solidi, glaberrimi, undique foliosi. *Folia* cordata, biuncialia, obtusè et inæqualitèr serrata, uninervia, venosa, glaberrima, subcoriacea: radicalia longiùs petiolata: caulina breviùs, magisque ovata, recurva. *Thyrsus* cylindraceo-oblongus, compositus, foliolosus, multiflorus, pedunculis glabris. *Flores* formosi, albo, violaceo, et dilutè purpureo, variati, magnitudine in solo natali vix *C. pyramidalis*. *Calyx* glaberrimus, laciniis patulis, subulatis, acuminatis, basi dilatatis, integerrimis. *Corollæ* tubus brevissimus, e parte internâ violaceus; limbus patentissimus, laciniis ovatis, acutis, basi medioque albidis, extùs purpurascentibus, apice recurvis. *Stamina* brevia, cærulea vel rubicunda. *Antheræ* lineares, exsertæ, patentissimæ, flavæ. *Germen* profundè sulcatum. *Stylus* subclavatus. *Stigmata* tria, recurva.

Perpulchra species, *C. pyramidali* proxima; discrepans verò *radice* perenni, nec bienni; *inflorescentiâ* thyrsoideâ, nec sparsâ; denique corollâ minùs campanulatâ, et quasi rotatâ.

a. Calyx cum germine et pedicello.
b. Idem cum fœcundationis organis.
c. Portio corollæ.

TABULA 208.

CAMPANULA HETEROPHYLLA.

Campanula foliis glabris integerrimis; radicalibus ovato-lanceolatis; caulinis subrotundis, caulibus diffusis.

C. heterophylla. *Linn. Sp. Pl.* 240. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 917.

C. saxatilis, foliis inferioribus Bellidis, cæteris Nummulariæ. *Tourn. Cor.* 3. *It. v.* 1. 93, *cum icone.*

In insulâ Chéro, rarissimè. ♃.

Radix perennis, fusiformis, crassa, lactescens, dulcis. *Caules* plures, spithamæi, simplices, teretes, glabri, undique foliosi. *Folia radicalia* plurima, cæspitosa, patentia, ovato-lanceolata, obtusiuscula, uncialia vel sesquiuncialia, basi in petiolum canaliculatum, suæ circitèr longitudinis, decurrentia: *caulina* copiosissima, alterna, breviùs petiolata, longè minora et ferè orbiculata, plùs minùs obtusa: *omnia* integerrima, lævia, subcarnosa, uninervia, paululùm venosa. *Racemi* terminales, adscendentes, subsimplices, densi, cylindracei; *bracteis* sparsis, obovatis, vel subrotundis; *pedunculis*, ut

Campanula heterophylla L.

Campanula cichoracea ?.

et *calyce*, pubescentibus. *Corolla* haud uncialis; tubo campanulato, albido; limbo cæruleo, laciniis angustis, acutis, recurvis, tubo brevioribus. *Stamina* alba, *antheris* flavescentibus, tubo inclusis. *Stylus* exsertus, albus, *stigmate* tripartito. *Germen* depressum, pentagonum.

Inter rarissimas sui generis species jure numeratur, nec in hortis nostris adhuc obvia est.

a. Calyx cum staminibus pistilloque, pedunculo bracteis ornato suffultus.
b. Stamina et stylus.
c. Corolla seorsìm, longitudinalitèr divisa.

** *Foliis scabris.*

TABULA 209.

CAMPANULA CICHORACEA.

CAMPANULA capsulis obtectis, foliis oblongis undulatis hispidis; radicalibus sinuatis, floribus glomeratis sessilibus terminalibus.

C. capitata. *Sims in Curt. Mag. t.* 811? *Ait. Epit.* 365?

In Thessaliâ. ♂.

Herba undique piloso-scabra, lactescens. *Radix* fusiformis, biennis. *Caulis* tripedalis, erectus, ramosus, teres, sulcatus, foliosus, multiflorus. *Folia* saturatè viridia, undulata, crenata, uninervia, venosa: *radicalia* spithamæa, obovata, plicata, sinuata, subrugosa; basi attenuata et serrata: *caulina* alterna, sessilia, bi- vel tri-uncialia, linearioblonga, obtusa, subamplexicaulia. *Ramuli floriferi* alterni, axillares, erecto-patentes, simplices, foliolosi. *Capitula* terminalia, solitaria, plerumque quinqueflora, cum floribus duobus vel tribus sparsis, axillaribus, solitariis, sessilibus, ad ramulos majores. *Bracteæ* sub singulo capitulo aggregatæ, unciales, foliaceæ, recurvæ; basi dilatatæ, cordatæ. *Calycis* laciniæ quinque erectæ, ovatæ, ciliatæ, cum quinque intermediis, reflexis, inflatis, pilosis, purpureo-albidis, germen, et demùm fructum, obtegentibus, persistentibus, ut in *C. Medio*, aliisque. *Corolla* purpuro-cærulea, sesquiuncialis; tubo subcylindraceo, intùs extùsque piloso; limbi laciniis subovatis, parùm patentibus, tubo duplò brevioribus, glabris. *Stamina* brevia, alba, pilosa, *antheris* flavis, linearibus, vix calyce longioribus. *Stylus* cylindraceus, pilosus, longitudine tubi. *Stigma* tripartitum, recurvatum.

a. Calyx floris.
b. Corolla arte expansa.
c. Stamina, et stylus polline copiosiùs onustus.

TABULA 210.

CAMPANULA BETONICIFOLIA.

Campanula capsulis obtectis, calycibus reticulato-venosis, foliis elliptico-oblongis serratis pilosis, pedunculis terminalibus subternis.

In monte Olympo Bithyno. ♂.

Radix, ut videtur, biennis, gracilis, ramosa. *Caulis* subsolitarius, pedalis aut sesquipedalis, erectus, strictus, ramulosus, foliosus, angulato-teres, hirtus, rubicundus, subfistulosus. *Folia* omnia ferè uniformia, elliptico-oblonga, vel ovata, sesquiuncialia, obtusa, crenato-serrata, reticulato-venosa, rugosa, lætè viridia, pilosa; basi attenuata: inferiora in petiolum canaliculatum decurrentia. *Ramuli floriferi* axillares, solitarii, apice diphylli, triflori; inferiores longissimi, nudi; superiores brevissimi. *Pedunculi* simplices; laterales medio bibracteati; centralis nudus; superiores, caulis apicem versùs, solitarii, axillares vel terminales, brevissimi. *Calycis* laciniæ latè ovatæ, ciliatæ, cum intermediis similibus, reflexis, germen tegentibus; omnes demùm ampliatæ, reticulato-venosæ, scariosæ, pallescentes. *Corolla* haud uncialis; tubo campanulato-cylindraceo, pallidè flavescente, pubescente; limbo brevi, patulo, purpuro-cærulescente, laciniis ovatis, obtusis. *Stamina* exigua, albida. *Germen* parvum. *Stylus* cylindraceus, albidus. *Stigma*, ex icone, quinquefidum? *Capsula* turbinata, angulata, parva, quinquelocularis, calyce obtecta, atque corollâ emarcidâ, contortâ, persistente, coronata.

a. Calyx cum pistillo.
b. Stamina et pistillum, avulso calyce, ut et corollâ.
c. Capsula matura, calyce ampliato obtecta, et corollâ emarcidâ coronata.

TABULA 211.

CAMPANULA DICHOTOMA.

Campanula capsulis obtectis quinquelocularibus, calyce sagittato, foliis ellipticis serratis pilosis, caule paniculato subdichotomo.

C. dichotoma. *Linn. Sp. Pl.* 237. *Amœn. Acad. v.* 4. 306.

C. mollis β. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 910.

C. hirsuta, Ocymi folio caulem ambiente, flore pendulo. *Bocc. Sic.* 83. *t.* 45. *f.* 1. *Tourn. Inst.* 112.

Viola mariana minor cærulea, folio subrotundo, calice corniculato. *Barrel. Ic. t.* 759.

Campanula betonicifolia?

Campanula dichotoma?

Campanula anchusiflora.

In rupibus prope Athenas. ⊙.

Radix annua, fibrosa, caudice tenui, simplice. *Herba* undique pilosa, palmaris vel spithamæa. *Caulis* solitarius, angulatus, foliosus, e basi sæpè rámosus, patulus; quandoque subsimplex, vel apice tantùm paniculatus, hinc inde dichotomus. *Folia* alterna, sessilia, uncialia vel sesquiuncialia, patentissima, elliptico-oblonga, obtusiuscula, latè serrata, venosa. *Flores* vel terminales, vel e dichotomiâ caulis, pedunculati, cernui, dilutè violacei. *Calycis* segmenta erecta, angustè deltoidea, elongata, acuminata, cum intermediis reflexis, angustis, triplò brevioribus, germen laxè tegentibus. *Corollæ* tubus cylindraceo-campanulatus, vix calyce longior, semiuncialis; limbus patulus, laciniis ovatis, venosis. *Stamina* parva, alba. *Stylus* longitudine tubi, albus, stigmate trifido.

C. mollis, si quæ alia, ab hâc specie distincta, radice perenni; caulibus pluribus, diffusis; pubescentiâ molli, sericeâ; foliis caulinis rotundioribus, radicalibus obovatis; corollâ, respectu calycis, duplò majori.

a. Calyx integer, pedunculo insidens.
b. Fœcundationis organa, avulsâ corollâ nec non calycis lacinii superioribus.

TABULA 212.

CAMPANULA ANCHUSIFLORA.

Campanula tomentosa, foliis radicalibus lyratis serratis, caule erecto paniculato multifloro, corollæ limbo hypocrateriformi.

In insulâ Polycandro, et in scopulis maritimis insulæ Hydræ. ♂.

Radix fusiformis, biennis. *Folia* prioris anni omnia radicalia, cæspitosa, vix spithamæa, lyrata, in petiolum linearem decurrentia, undique piloso-mollia, subincana; lobo terminali maximo, cordato, obtuso, venoso, inæqualitèr crenato; reliquis inæqualibus, obtusis, parciùs incisis vel crenatis. *Caules* plures, anno insequente, sine foliis radicalibus, enati, spithamæi vel pedales, erecti, teretes, pilosi, foliolosi, undique alternatìm ramosi, paniculati, multiflori. *Folia* caulina sparsa, primordialibus radicalibus longè minora, obovata, crenata, basi angustata; floralia minima, in *bracteolas* sensìm diminuta. *Flores* copiosi, laterales et terminales, alterni, pedunculati, subnutantes, pulchrè cyanei, *Anchusam* quandam haud ineptè simulantes. *Calycis* laciniæ deltoideo-oblongæ, acutæ, integerrimæ, pubescentes, intermediis reflexis, rotundatis, exiguis, germen minimè occultantibus. *Corolla* uncialis; tubo cylindraceo, costato, pubescente, pallidiore; limbo horizontali, plano, laciniis ovatis, obtusis.

Valvulæ staminiferæ albæ, latissimæ, *antheris* flavis, linearibus, sessilibus, absque filamentis, longitudine calycis. *Stylus* cylindraceus, flavescens, corollæ tubo æqualis. *Stigma* quinquepartitum. *Capsula* turbinata, pilosa, decangularis, quinquelocularis. *Semina* exigua, obovata, nitida, ut in aliis speciebus.

a. Flos, corollâ orbatus.
A. Stamina aliquantulùm aucta, cum stylo.
b. Capsula matura.
c, C. Semen, magnitudine naturali et aucta.

TABULA 213.

CAMPANULA RUPESTRIS.

Campanula tomentosa, foliis crenatis; radicalibus lyratis; caulinis obovato-rotundatis, caulibus diffusis.

In Bœotiæ et Peloponnesi rupibus. ♂?

Radix cylindracea, sublignosa, fortè perennis. *Caules* spithamæi, diffusi, ramosi, subracemosi, teretes, pilosi, rubicundi, foliosi, multiflori. *Folia radicalia* cæspitosa, lyrata, triuncialia, sericeo-tomentosa, incana; lobo terminali maximo, cordato, acutè crenato, margine subindè crispo; reliquis numerosis, parvis, inæqualibus: *caulina* sparsa, petiolata, reflexa, rotundata, crenata, haud uncialia, pilosa, minùs incana. *Flores* terminales et laterales, sparsi, pedunculati, erecti, dilutè cærulei, fauce albâ, vix unciales. *Calycis* laciniæ ovatæ, acuminatæ, pilosæ, intermediis reflexis, oblongis, parvis, germen exiguum depressiusculum obtegentibus. *Corollæ* tubus cylindraceo-campanulatus, incarnato-pallidus, calyce vix longior; limbi laciniis ovatis, acutis, recurvato-patentibus. *Staminum* valvulæ deltoideæ, ciliatæ, albæ, *antheris* linearibus, singulis filamento brevi innixis. *Stylus* longitudine tubi. *Stigma* trifidum. *Capsula* brevis, angulosa, trilocularis.

a. Calyx cum pedunculo et pistillo.
B. Stamina, et stylus, duplò auctus, polline opertus.

TABULA 214.

CAMPANULA ERINUS.

Campanula caule dichotomo, foliis obovatis subpetiolatis; floralibus oppositis: summis tridentatis, calyce fructûs patulo.

Campanula rupestris.

Campanula Erinus.

Campanula drabifolia.

C. Erinus. *Linn. Sp. Pl.* 240. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 917. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 353.
C. n. 15. *Loefl. It.* 127.
Erini, sive Rapunculi, minimum genus. *Column. Phyt. v.* 2. 29. *t.* 31. *ed.* 2. 122. *t.* 37.
Erinos. *Cæsalp. de Plantis,* 386.
Rapunculus minor, foliis incisis. *Bauh. Pin.* 92.
Alsine oblongo folio serrato, flore cæruleo. *Bauh. Hist. v.* 3. 367.

In rupibus insulæ Cypri, et in agro Argolico. ⊙.

Radix annua, fibrosa. *Herba* saturatè virens, piloso-scabra. *Caulis* solitarius, erectus, palmaris, vel paulò altior, tereti-angulosus, foliosus, ramosus; supernè dichotomus, patens. *Folia inferiora* sparsa, patentia, obovata, obtusa, crenata, uncialia, in petiolum ferè attenuata; *superiora* ad caulis dichotomias opposita, sessilia, subrotunda, acutiuscula, latè serrata; *summa* oblonga, trifida, minora. *Flores* e dichotomiâ caulis, solitarii, subsessiles, parvi, saturatè cærulei, ore albo. *Calyx* campanulatus, laciniis ovato-lanceolatis, erectis, setoso-ciliatis, fructu maturescente ampliatis, horizontalitèr patentibus. *Corolla* longitudine calycis, tubo cylindraceo, albido, limbi laciniis ovatis, patentibus, tubo duplò brevioribus. *Stamina* albida, brevia, valvulis latis. *Stylus* polline onustus clavatus. *Stigma* trifidum.
Habitus, color et magnitudo *Veronicarum* annuarum nostratum.

A. Flos, demptâ corollâ, triplò magnitudine auctus.

TABULA 215.

CAMPANULA DRABIFOLIA.

Campanula caule dichotomo, foliis sessilibus dentatis; floralibus oppositis, corollæ tubo ventricoso.
C. Drabæ minoris foliis. *Tourn. Inst.* 112. Sibthorp.

In vineis, et inter Gossypia, insulæ Sami, et prope Athenas. ⊙.

Habitus præcedentis, sed *folia* omnia sessilia, elliptico-oblonga, latè dentata; superiora minora, angustiora; summa linearia, dente utrinque solitario. *Caulis* plurifariàm dichotomus, patens, pilosus. *Flores* pedunculati, erecti, præcedente paulò majores. *Calyx* setosus, laciniis erectiusculis, nunquàm horizontalibus. *Corollæ* tubus albus, calyce sesquilongior, amplus, inflatus, elliptico-campanulatus, glaber; limbus cæruleo-violaceus, laciniis ovatis, patulis, tubo triplò brevioribus. *Stigma* trifidum. *Cap-*

sula turbinato-triquetra, trilocularis, poris tribus, basin versùs, singulis operculo, demùm reflexo, clausis.

Synonymon Tournefortii, a clarissimo Sibthorp, nescio quâ ratione, selectum, quamvis *Campanulæ* nostræ, quoad similitudinem, benè conveniat, mihi dubium videtur. *C. Drabæ minoris foliis* Bauhinorum, in herbario Burseriano reposita, monente Linnæo, *C. rhomboidalis* est. Planta Tournefortiana forsitàn diversa.

a. Calyx cum fœcundationis organis, pedunculo bracteisque suffultus.
b. Corolla arte expansa.

TABULA 216.

CAMPANULA SPECULUM.

Campanula caule undique ramoso, foliis oblongis crenatis, corollâ hypocrateriformi longitudine calycis, capsulâ prismaticâ.

C. Speculum. *Linn. Sp. Pl.* 238. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 912. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2 *v.* 1. 352. *Curt. Mag. t.* 102.

C. arvensis erecta. *Tourn. Inst.* 112.

C. arvensis minima. *Dod. Pempt.* 168.

Onobrychis prima Dodonæi. *Dalech. Hist.* 490.

O. arvensis, vel Campanula arvensis erecta. *Bauh. Pin.* 215.

Speculum Veneris. *Ger. Em.* 439.

Avicularia Sylvii quibusdam. *Bauh. Hist. v.* 2. 800.

Ἀγρια Γελιὰ *Zacynth.*

In arvis, vineis, et inter Gossypia, in insulis Græciæ frequens. ⊙.

Radix simplex, annua, fibrosa. *Herba* undique piloso-mollis, subincana, magnitudine varia. *Caulis* solitarius, erectus, a basi ad apicem ramosus, angulato-teres, fistulosus, foliosus, multiflorus; ramis patulis vel diffusis, plerumque simplicibus; inferioribus longioribus. *Folia* sparsa, sessilia, obovato-oblonga, obtusa, venosa, recurvato-patula, crenata; basi elongata, subamplexicaulia. *Flores* copiosi, aggregati, laterales et terminales, subsessiles, erectiusculi, pulcherrimi, nitidi, cæruleo-violacei, ore albo. *Calycis* laciniæ subulato-lineares, patentes, margine scabriusculæ. *Corolla* calyci æqualis; tubo brevi, campanulato, albo; limbo patente, planiusculo, semiquinquefido. *Stamina* alba, tubo vix longiora. *Germen* lineari-triquetrum, gracile, pedunculum simulans, longitudine calycis. *Stylus* albus, staminibus duplò longior, corollâ duplò ferè brevior. *Stigma* trifidum.

a. Flos seorsìm, demptâ corollâ.

Campanula . Speculum .

Phyteuma ellipticum.

PHYTEUMA.

Linn. Gen. Pl. 89. *Juss.* 165. *Gærtn. t.* 30.

Rapunculus. *Tourn. t.* 38.

Corolla rotata, quinquepartita; laciniis linearibus. *Stigma* bi- sive tri-fidum. *Capsula* bi- sive tri-locularis, infera, lateralitèr dehiscens.

TABULA 217.

PHYTEUMA ELLIPTICUM.

Phyteuma spicâ laxiusculâ, foliis ellipticis petiolatis crenatis scabris, caule simplicissimo folioso hirto.

In monte Olympo Bithyno. 2.

Radix perennis, subrepens. *Caules* herbacei, spithamæi, erecti, simplicissimi, foliosi, angulato-teretes, piloso-incani. *Folia* alterna, petiolata, patentia, elliptica, obtusiuscula, uncialia vel sesquiuncialia, sæpiùs inæqualitèr crenata, reticulato-venosa, subtùs præcipuè scabra. *Petioli* canaliculati, hirti, longitudine varii. *Spica* terminalis, foliolosa, formâ maximè variabilis, quandoque composita. *Calyx* quinquepartitus, laciniis patulis, ovatis, glabris, longitudine germinis. *Corolla* purpuro-cærulea; tubo ferè nullo; limbi laciniis revoluto-patentibus, linearibus, angustissimis, canaliculatis, vix uncialibus. *Stamina* corollâ triplò breviora, patentia, cæruleo-incarnata; basi dilatata, conniventia. *Antheræ* lineares, flavæ. *Germen* obovatum, subindè pubescens. *Stylus* cylindraceus, cæruleo-incarnatus, staminibus duplò longior. *Stigma* trifidum, exiguum. *Capsula* obovata, angulata, calyce persistente, connivente, coronata.

Variat altitudine, nec non foliorum latitudine, præcipuè verò petiolorum et spicæ proportione. Hujus forsan varietas est *Phyteuma campanuloides*, Marsch. a Bieberst. Taurico-Caucas. v. 1. 156. Sims apud Curt. Mag. t. 1015; quod, collatis tantùm iconibus, vix patet.

a. Corolla seorsìm.
b. Germen, calyx, stamina et stylus.

TABULA 218.

PHYTEUMA LIMONIFOLIUM.

Phyteuma foliis lanceolatis dentato-repandis retrorsùm scabriusculis, caule paniculato, floribus sessilibus subternis.

Campanula limonifolia. *Linn. Sp. Pl.* 239. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 914.

C. orientalis, Limonii minimi facie, flore patulo. *Tourn. Cor.* 3.

In herbidis Olympi Bithyni, summitatem versùs. ♃.

Radix perennis, crassa, sublignosa, multiceps. *Caules* cæspitosi, erecti, pedales, parùm foliosi, undique ramosi, patuli, teretes, læves, multiflori. *Folia radicalia* copiosa, cæspitosa, horizontalitèr patentia, longiùs petiolata, lanceolato-oblonga, obtusiuscula, basi angustata, margine plùs minùs dentato-repanda, uninervia, utrinque, ut et caulium pars infima, retrorsùm scabriuscula, oculo armato minutè setosa; *caulina* sparsa, minora, recurvato-patentia. *Spicæ* terminales, solitariæ, erectæ, laxæ, multifloræ, glabræ. *Bracteæ* solitariæ, ovatæ, exiguæ. *Flores* binati, vel terni, sessiles, patentes, purpuro-cærulei. *Calycis* segmenta ovato-lanceolata, acuta, patula, subindè scabriuscula. *Corolla* patentissima, præcedentis dimidiò minor, laciniis lineari-oblongis, obtusis. *Stamina* alba, vix longitudine calycis, basi latâ conniventia. *Antheræ* oblongæ, flavæ. *Stylus* cylindraceus, pubescens, roseus, longitudine corollæ. *Stigma* parvum, trifidum. *Capsula* subrotunda, gibba, inæqualitèr decem-costata, pruinoso-scabriuscula, poris tribus, latis, lateralibus, apicem versùs, dehiscens.

A. Flos, corollâ orbatus, triplò circitèr auctus.
b. Capsula ad maturitatem vergens, magnitudine naturali.

TABULA 219.

PHYTEUMA AMPLEXICAULE.

Phyteuma foliis subamplexicaulibus ovatis duplicato-serratis, floribus racemosis fasciculatis, laciniis calycinis setaceis.

Ph. amplexicaulis. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 925.

Rapunculus orientalis, Campanulæ pratensis folio. *Tourn. Cor.* 4.

In herbidis Olympi Bithyni, cacumen versùs. ♃.

Phyteuma limonifolium ?

Phyteuma amplexicaule L.

Phyteuma pinnatum?

Herba glaberrima, lætè virens, pulchra foliis et floribus. *Caulis* erectus, pedalis vel sesquipedalis, strictus, simplex, teres, solidiuseulus, foliis copiosis vestitus. *Folia* patentia, alterna, subsessilia, plerumque biuneialia, ovata, acuminata, argutè duplicatò serrata, venosa; basi subamplexieaulia, et subindè eordata. *Racemus* solitarius, terminalis, erectus, subeylindraeeus, thyrsoideus, foliolosus, ferè spithamæus. *Pedunculi* aggregati, sæpiùs quinati; inferiores subdivisi. *Flores* eærulei, præeedente duplò majores. *Calycis* laciniæ reflexæ, graeillimæ, ferè capillares, ultra semuneiam longitudine. *Corollæ* segmenta lineari-lanceolata, paululùm recurva, obtusiuscula, ealyee longiora. *Stamina* alba, brevia. *Germen* turbinatum, angulatum, ealyce reflexo tectum. *Stylus* filiformis, lævis, flaveseens, eorollâ brevior. *Stigma* tripartitum, reeurvum. *Capsula* turbinata, membranaeea, glaberrima, reticulato-venosa, quinquangularis, poris tribus, laceris, ad basin dehiscens.

a. Flos, absque corollâ, pedunculo suffultus.
b. Corolla arte expansa.

TABULA 220.

PHYTEUMA PINNATUM.

Phyteuma foliis pinnatis, thyrso eomposito.

Ph. pinnata. *Linn. Sp. Pl.* 242. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 925. *Ait. Hort. Kew. v.* 1. 355.
Rapunculus ereticus, seu Pyramidalis altera. *Bauh. Pin.* 93. *Tourn. Inst.* 113.
R. cretieus, Petromarula. *Bauh. Hist. v.* 2. 811.
Petromarula di Candia. *Pon. Bald.* 96.
P. Rapunculo candioto. *Imperat. Hist. Nat.* 668.

In Cretæ montosis, atque seopulis maritimis, copiosè. ♃.

Herba tri- vel quadri-pedalis, lactescens, formosa, glaberrima, glaueo-virens cum rore purpureo, primo vere florens, ante solstitium prorsùs emareida. *Radix* perennis, erassa, alba, lactiflua, esculenta, sapore *Campanulæ Rapunculi*, ut apud Ponam invenies. *Caules* ereeti, teretes, foliosi, solidi, lævissimi, supernè ramosi. *Folia* quædam primordialia, e semine nata, simplieia, eordata, vix dentata, *Violæ odoratæ* similia; reliqua sæpiùs interruptè pinnata, spithamæa aut pedalia, petiolata; foliolis inæqualibus, subovatis, aeuminatis, venosis, argutè et inæqualitèr dentato-serratis, subtùs pallidioribus; intermediis exiguis, oblongis; terminali maximo, eordato: radiealia numerosa, undique patentia: caulina alterna. *Thyrsus* terminalis, erectus, densus, cylindraceus, obtusus, multiflorus, foliolosus, ferè pedalis; basi plerumque ramosus. *Pedunculi* glauco-purpuraseentes, glaberrimi, alterni, multiflori, subeymosi, pedieellis intermediis præcocioribus. *Flores* eopiosissimi, elegantèr purpuro-

cyanei, ultra unciam lati. *Calyx* parvus, laciniis lanceolatis, adscendentibus, violaceis. *Corollæ* segmenta calyce sextuplò longiora, patentissima, lineari-oblonga. *Stamina* corollâ duplò breviora, erecta, rubicunda, approximata; basi dilatata, ventricosa, albida. *Antheræ* oblongæ, flavæ, post anthesin recurvæ. *Germen* breve, depressum, glauco-purpureum, glaberrimum, trilobum; lobis gibbis, tricostatis. *Stylus* erectus, cylindraceus, carneus, staminibus duplò longior. *Stigma* crassum, trilobum, colore styli. *Capsula* formâ germinis, duplòque major, trilocularis, foraminibus tribus lateralibus, inter lobos, dehiscens. *Semina* exigua, elliptico-oblonga, fusca, nitida.

In hybernaculis nostris, e semine subindè enata, difficillimè conservatur, et rarissimè flores profert. Florentem tamen habuimus ex horto præclari et amicissimi viri Gulielmi Pitcairn, M.D., apud Islington, anno 1791; nec alibi unquam vidimus.

a. Flos pedicello suffultus, corollâ orbatus.
B. Stamina cum stylo, cujus stigma polline onustum est, antheris effœtis, magnitudine plus duplò auctâ.
c. Pistillum sine staminibus.
d. Capsula vix matura, floris partibus emarcidis coronata.
e, E. Semen.

LOBELIA.

Linn. Gen. Pl. 456. *Juss.* 165.

Rapuntium. *Tourn. t.* 51. *Gærtn. t.* 30.

Corolla irregularis, suprà longitudinalitèr fissa. *Stigma* capitatum. *Antheræ* connatæ in tubum. *Capsula* infera, bi- sive tri-locularis.

TABULA 221.

LOBELIA SETACEA.

Lobelia foliis radicalibus spatulatis repandis; caulinis setaceis, caulibus simplicissimis unifloris erectis.

L. Laurentia *β*. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 948.
Rapuntium creticum minimum, Bellidis folio, flore maculato. *Tourn. Cor.* 9.

In Cretæ et Cypri uliginosis. ⊙.

Lobelia setacea?

Viola gracilis.

Radix annua, fibrosa, parva. *Herba* glabra. *Caules* plures, filiformes, erecti, palmares, simplicissimi, foliolosi, uniflori, rubicundi. *Folia radicalia* numerosa, in orbem expansa, petiolata, obovato-spatulata, obtusa, repanda, plerumque uncialia: *caulina* exigua, sparsa, setacea, erecta. *Flos* terminalis, erectiusculus, parvus. *Calycis* laciniæ erectæ, lineari-subulatæ, integerrimæ, glaberrimæ. *Corolla* monopetala, ringens, bilabiata; tubus albidus, utrinque ultrà medium fissus, calyce duplò longior, laciniâ inferiore flavescente, intùs barbatâ; labium superius erectum, bipartitum, cæruleum; inferius semitrilobum, lobis obovatis, acutis, disco albis, margine cæruleis. *Stamina* alba. *Antheræ* roseæ, sub labio superiore, in fauce, latentes, incurvæ. *Germen* turbinatum, parvum, glabrum. *Stylus* capillaris. *Stigma* majusculum, capitatum, pubescens, vix extrà antheras prominens, deflexum. *Capsula* campanulata, costata, rufo-fuscescens.

L. minuta Meerburg. Ic. t. 20, nec Linnæi, in Prodromi nostri appendice, v. 2. 357, citata, caulibus omninò nudis, ut et radice tuberosâ, differre videtur.

A. Calyx cum germine et caulis apice.
B. Corolla in statu naturali, cum staminibus.
C. Eadem, labiis vi separatis et hiantibus.
D. Stamina.
Omnia lente aucta.

VIOLA.

Linn. Gen. Pl. 457. Juss. 294. Tourn. t. 236. Gærtn. t. 112.

Corolla pentapetala, irregularis, posticè cornuta. *Antheræ* subcohærentes. *Capsula* supera, trivalvis, unilocularis. *Calyx* pentaphyllus, basi productus.

TABULA 222.

VIOLA GRACILIS.

VIOLA caule ramoso angulato diffuso, foliis lanceolatis subcrenatis; superioribus oppositis, stipulis tripartitis, radice repente.

In Olympi Bithyni cacumine. ♃.

Radix perennis, gracillima, repens, ramosa, multiceps. *Caules* diffusi, angulato-filiformes, vix spithamæi; basi subdivisi; supernè foliosi, simplices; vel omninò glabri, vel tenuissimè pubescentes. *Folia* alterna, subconferta, petiolata, lanceolata, obtusius-

cula, obsoletè et inæqualitèr crenata, sæpiùs glabra; basi attenuata; inferiora obovata; superiora opposita. *Stipulæ* foliis conformes, at duplò vel triplò minores, tripartitæ, laciniis subæqualibus, lineari-lanceolatis, integerrimis, quandoque margine pubescentibus. *Flores* pauci, axillares, solitarii, distantes, longissimè pedunculati. *Bracteæ* binæ, alternæ, lanceolatæ, hastato-dentatæ, exiguæ, pedunculi apicem versùs. *Flos* tristè ac pallidè violaceus, uncialis, anticè ferè unicolor, petalorum limbis obovatis, basi nigro-lineatis; lateralibus minoribus; calcar longitudine petalorum, adscendens, album. *Calycis* foliola inæqualia, lanceolata, glabra; infimum maximum, basi productum, crenatum, calcare duplò brevius. *Stamina* brevia, *antheris* conniventibus, vix connatis. *Pistillum* haud investigare licuit.

V. calcaratæ et *cornutæ* affinis, sed pluribus notis distincta.

a. Calyx.
b. Petalum infimum, basi calcaratum, cum fœcundationis organis in situ naturali.
c. Unum ex petalis supremis.
d. Petalum laterale.
Omnia magnitudine naturali.

LONICERA.

Linn. Gen. Pl. 93.

Caprifolium. *Tourn. t.* 378. *Juss.* 212. *Gærtn. t.* 27.
Periclymenum. *Tourn. t.* 378.
Xylosteon. *Tourn. t.* 379. *Juss.* 212.
Chamæcerasus. *Tourn. t.* 379.

Corolla monopetala, irregularis. *Bacca* polysperma, infera.

* * Chamæcerasa. *Pedunculis bifloris.*

TABULA 223.

LONICERA XYLOSTEUM.

Lonicera pedunculis bifloris, baccis distinctis, foliis integerrimis pubescentibus.

L. Xylosteum. *Linn. Sp. Pl.* 248. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 986. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 379. *Sm. Compend. Fl. Brit. ed.* 2. 39. *Engl. Bot. t.* 916. *Fl. Dan. t.* 808.

Chamæcerasus dumetorum, fructu gemino rubro. *Bauh. Pin.* 451. *Tourn. Inst.* 609. *Duham. Arb. v.* 1. 153. *t.* 59.

Periclymenum rectum germanicum. *Ger. Em.* 1294.

Xylosteum. *Dod. Pempt.* 412. *Rivin. Monop. Irr. t.* 120.

Lonicera Xylosteum?

Verbascum phlomoides.

In monte Parnasso. ♄.

Caulis fruticosus, erectus, ramosissimus, vix orgyalis; *ramis* oppositis, patentibus, teretiusculis, solidis, griseis, glabris; *ramulis* pallidè virentibus, pubescentibus, foliosis. *Folia* decidua, opposita, breviùs petiolata, elliptico-orbiculata, subindè ovata, obsoletè acuminata, integerrima, uncialia vel sesquiuncialia, uninervia, cum venis obliquis parallelis, utrinque pubescenti-mollia, tristè virentia; subtùs pallidiora. *Petioli* vix lineam longi, incurvi, canaliculati, pilosi. *Gemmæ* solitariæ, ovatæ, acutæ, intùs sericeæ. *Pedunculi* axillares et terminales, solitarii, brevissimi, biflori; rariùs petiolum superantes. *Bracteæ* in apice pedunculi, duplices; *exteriores* duæ, oppositæ, patentes, lanceolatæ, acuminatæ, pilosæ; *interiores* solitariæ sub singulo flore, minores, subrotundæ, adpressæ, subciliatæ. *Flores* parvi, albidi, inodori. *Calyx* monophyllus, campanulatus, semiquinquefidus, laciniis ovatis, margine pilosis. *Corolla* haud uncialis, hians, extùs pubescens; labio superiore lato, planiusculo, obtusè quadrilobo; inferiore lineari, recurvo, indiviso, ochroleuco. *Stamina* filiformia, corollæ basi inserta, limbo breviora, *antheris* oblongis incumbentibus. *Germen* ellipticum, glabrum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* capitatum. *Baccæ* approximatæ, distinctæ, globosæ, inæquales, corallinæ, molles, uniloculares, sub-hexaspermæ.

In hortis et frutetis per totam ferè Europam sæpè colitur hic frutex, haud minùs inamœnus quàm inutilis.

a. Flos integer, cum bracteâ externâ.

b. Germen, calyx et stylus.

VERBASCUM.

Linn. Gen. Pl. 97. *Juss.* 124. *Tourn. t.* 61. *Gærtn. t.* 55.

Corolla rotata, irregularis. *Stamina* declinata, barbata. *Capsula* supera, bilocularis, valvulis inflexis, polysperma. *Stigma* indivisum.

TABULA 224.

VERBASCUM PHLOMOIDES.

Verbascum foliis ovatis utrinque tomentosis; inferioribus petiolatis; summis amplexicaulibus subdecurrentibus cuspidatis.

V. phlomoides. *Linn. Sp. Pl.* 253. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1002. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 384. *Schrad. Verbasc.* 29.

V. foliis radicalibus ovatis petiolatis; caulinis oblongis sessilibus subtùs tomentosis serratis. *Mill. Ic.* 182. *t.* 273.

V. fœmina, flore luteo magno. *Bauh. Pin.* 239. *Tourn. Inst.* 147.

V. tomentosum et incanum, folio subrotundo et quasi circinato, caule non alato, flore luteo, staminulis purpureis cum apicibus croceis, fructu longiore. *Mich. apud Till. Pis.* 171.

Circa Byzantium. ♂.

Radix fusiformis, ramosa, crassa, biennis. *Herba* undique densè lanata, mollis, incana. *Caulis* solitarius, erectus, tripedalis, teres, foliosus, simplex, strictus, spicatus, multiflorus. *Folia radicalia*, ut et *caulina infima*, petiolata, latè ovata, obtusiuscula, obsoletè crenata, crassa, venosa, rugosa, quadriuncialia vel majora; basi in petiolum alatum, crassum, biuncialem, decurrentia: *superiora* longè minora, alterna, sessilia; basi cordata, amplexicaulia, subdecurrentia, magìs minùsve acuminata, sensìm in *bracteas* angustatas, longiùs acuminatas, diminuta. *Thyrsus* solitarius, erectus, pedalis, interruptus, *floribus* fasciculatis, magnis, aureis, speciosis. *Fasciculi* in axillis bractearum, alterni, subquinqueflori, *bracteolis* lanceolatis interstinctis. *Pedicelli* calyce breviores, crassi, densissimè lanati, uniflori. *Calycis* laciniæ subæquales, ovatæ, acuminatæ, intùs glabratæ. *Corolla* calyce quintuplò major, quinquepartita, inæqualis; lobis patentibus, obovatis, repandis, summis minoribus. *Stamina* basi corollæ inserta, *filamentis* paululùm inæqualibus, violaceis, densè barbatis, corollâ duplò brevioribus, declinatis, *antheris* incumbentibus, luteis, ferè uniformibus. *Germen* superum, ovatum, densissimè lanatum. *Stylus* declinatus, longitudine staminum, pilosus, *stigmate* exiguo. *Capsula* ovata, semiuncialis, lanâ deciduâ vestita.

Variat, ut videtur, foliis caulinis elongatis, acumine productiori, ut et antheris duabus plùs minùs difformibus et imperfectis. Synonyma apud priscos difficillima.

a. Pistillum calyce suffultum.
b. Corolla, arte expansa, cum staminibus.

TABULA 225.

VERBASCUM AURICULATUM.

Verbascum foliis elliptico-oblongis utrinque tomentosis basi auriculatis, racemis paniculatis flexuosis.

V. mucronatum. *Lamarck. Dict. v.* 4. 218? *Schrad. Verbasc.* 38?

V. orientale maximum candidissimum, ramis candelabrum æmulantibus. *Tourn. Cor.* 8.

In insulâ Samo. ♂.

Verbascum auriculatum :

Verbascum plicatum ?.

Herba densissimè tomentosa, nivea. *Caulis* bipedalis, adscendens, teres, crassus, densè foliosus, tomentoso-niveus; supernè ramosus, glabratus, ramis alternis, racemosis, flexuosis, multifloris. *Folia* conferta, alterna, sessilia, axillis foliolosis, patentia, bi-vel tri-uncialia, elliptico-oblonga, obtusè mucronata, obsoletè crenata, crenulis minutis sub densâ lanugine reconditis; suprà lævia, tomento densissimo et æquali, vix nervo, aut venis majoribus, exarata; subtùs venoso-reticulata, haud minùs densè lanata, lanâ arachnoideo-stellulata; basi angustata, lobulo utrinque rotundato, amplexicauli, auriculata. *Flores* aurei, bracteati, pedunculati et fasciculati, ut in priore, sed duplò minores. *Calyx* basi lanatus, laciniis apice glabratis. *Corolla* parùm irregularis, *staminibus* subæqualibus, barbâ ochroleucâ, *antheris* ferè uniformibus, fulvis.

A *Verbasco mucronato* Lamarckii et Schraderi magnitudine longè minori discrepare videtur, nec non foliis uniformibus, perpulchrè auriculatis, auriculis sursùm dilatatis, ac rotundatis.

a. Calyx cum stylo. *b.* Corolla expansa, staminifera. *c.* Pistillum seorsùm.

TABULA 226.

VERBASCUM PLICATUM.

Verbascum foliis lyrato-sinuatis crispis subcrenatis utrinque tomentosis, spicâ simplici interruptâ foliolosâ.

V. sinuatum β. *Linn. Sp. Pl.* 255.

V. pinnatifidum. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 386; nec Vahlii neque Willdenovii.

V. græcum fruticosum, folio sinuato candidissimo. *Tourn. Cor.* 8. *It. v.* 1. 128, *cum icone.*

Φλομος λευκη θηλη *Diosc. lib.* 4. *cap.* 104.

Φλόμος *hodiè.*

In insulâ Hydrâ. Circa Athenas copiosè. ♂. ♃?

Radix fusiformis, biennis, vel forsitàn perennis. *Caulis* erectiusculus, simplex, foliosus, teretiusculus, tomento denso, stellato, rigidulo, ochroleuco, ut et folia et calyx, undique vestitus. *Folia* obovato-oblonga, lyrato-sinuata, margine plicata vel crispa, obsoletè crenata, crassa, densè tomentosa; suprà æqualia et ferè avenia; subtùs reticulato-venosa: *radicalia* petiolata, duplò majora, subspithamæa: *caulina* amplexicaulia, superiora sensìm minora: *floralia* minima, acuminata. *Spica* terminalis, solitaria, erecta, plerumque pedalis, foliolosa, vel bracteata, multiflora. *Flores* fasciculati, omninò ferè sessiles in axillis bractearum, sæpiùs terni aut quaterni, flavi, diametro vix unciales. *Calyx* densè villosus. *Corolla* paululùm irregularis. *Stamina* a medio ad apicem barbata, flava, antheris subuniformibus. *Capsula* ovata, acuta, rigida, demùm glabrata.

Variat foliis obtusis vel acutis. Folia in stirpe hortensi magìs dilatata et complanata, minùsque crispa evadunt, faciem *V. alii*, Matth. Valgr. v. 2. 492, præ se ferentia.

a. Calyx cum stylo.
b. Corolla staminifera.
c. Capsula.
d. Ejusdem sectio transversa.
e. Semen.
Omnia magnitudine naturali.

TABULA 227.

VERBASCUM SINUATUM.

Verbascum foliis serratis pulverulentis; radicalibus pinnatifido-repandis; caulinis integris decurrentibus, caule paniculato multifloro.

V. sinuatum. *Linn. Sp. Pl.* 254. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1006. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 386. *Schrad. Verbasc.* 39.

V. nigrum, folio Papaveris corniculati. *Bauh. Pin.* 240. *Tourn. Inst.* 147.

V. crispum et sinuatum. *Bauh. Hist. v.* 3. 860.

V. aliud. *Camer. Epit.* 882. *Matth. Valgr. v.* 2. 492.

V. laciniatum Matthioli. *Dalech. Hist.* 1302.

Φλομος μελας *Diosc. lib.* 4. *cap.* 104.

Φλόμος *hodiè*.

In Græciæ provinciis et insulis hujusce generis omnium vulgatissima species. ♂.

Radix fusiformis, fusca, sublignosa. *Herba* quam in præcedentibus longè minùs lanata vel incana. *Caulis* erectus, sesquipedalis, teres, flexuosus, foliosus, undique alternatìm ramosus, paniculatus, multiflorus, pube sparsâ, stellatâ, vix scabriusculus, sæpiùs purpureo-nigricans. *Folia radicalia* spithamæa, obovato-oblonga, obtusiuscula, obtusè serrata, semipinnatifida, lobis incisis, sinubusque plicatis adscendentibus; basi angustata, subpetiolata: *caulina inferiora* radicalibus similia sed minora, sessilia, decurrentia: *summa* minima, ovato-lanceolata, acuminata, indivisa, acutè crenata, longiùs decurrentia, reflexa: omnia reticulato-venosa, rugosa, atro-virentia, pilis stellatis albidis, subtùs copiosioribus, pubescentia. *Panicula* patens, ramosissima, ramis subalatis, pulverulento-incanis. *Flores* sæpiùs fasciculati, pedunculati, magnitudine et formâ præcedentis, *calyce* vero longè minori, et *staminibus* violaceis, magìs inæqualibus. *Capsula* subrotunda, parva.

Icon Matthioli, apud Dalechampium, nec non Tabern. Kraüterb. 956, repetita, *Verbasci plicati* varietatem hortensem foliis potiùs refert; at caule ramosissimo, paniculato, discrepat.

a. Calyx cum pistillo.
b. Corolla cum staminibus.
c. Capsula.
d. Semen.

Verbascum sinuatum ?

Verbascum pinnatifidum L.

A

Verbascum spinosum?

TABULA 228.

VERBASCUM PINNATIFIDUM.

Verbascum foliis planis pinnatifidis incisis pulverulentis suprà denudatis; radicalibus petiolatis, caule paniculato multifloro.

V. pinnatifidum. *Vahl. Symb. v.* 2. 39. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1006, *excluso synonymo Tournefortii.*

In arenosis maritimis prope *Yalvam*, Bithyniæ. ♃.

Radix perennis, fusiformis, nigricans, apice subdivisa. *Caulis* pedalis vel bipedalis, erectus, undique ramosissimus, foliosus, teres, atro-purpureus, tenuè piloso-pulverulentus. *Folia radicalia* longiùs petiolata, triuncialia, plana, altè pinnatifida, incisa, venoso-corrugata; suprà atro-viridia, nudiuscula; subtùs pallidiora, pulverulento-pilosa, pilis stellatis; juniora densissimè lanata: *caulina* duplò vel triplò minora, sessilia, haud decurrentia, pinnatifido-incisa: *floralia* aggregata, floribus plerumque longiora, patentia. *Rami floriferi* simplices, patentes, elongati, multiflori. *Flores* aggregati, sessiles, flavi, prioribus vix minores. *Calyx* densè lanatus. *Corolla* extùs villoso-cana. *Stamina* fulva. *Capsula* ferè globosa.

a. Calyx cum stylo. *b.* Corolla et stamina.

TABULA 229.

VERBASCUM SPINOSUM.

Verbascum caule folioso fruticoso ramosissimo spinescente, foliis omnibus petiolatis incanis.

V. spinosum. *Linn. Sp. Pl.* 254. *Amœn. Acad. v.* 4. 307. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1007. *Vahl. Symb. v.* 2. 39.

V. creticum spinosum frutescens. *Tourn. Cor.* 8.

Leucoium creticum spinosum incanum luteum. *Bauh. Pin.* 201. *Lob. Illustr.* 113.

L. spinosum creticum. *Clus. Hist.* 299. *Ger. Em.* 459.

L. spinosum cruciatum. *Alpin. Exot.* 37. *t.* 36.

Galastivida prima di Candia. *Pon. Bald.* 114.

In montibus Cretæ elatioribus. ♄.

Caulis fruticosus, durus, rigidus, cæspitosus, adscendens, spithamæus, ramosissimus. *Rami* erecti, teretes, incani, foliosi; supernè decompositi, floriferi, bracteolati, ra-

mulis alternis, divaricato-patentibus, distichis, spinescentibus, persistentibus, demùm glabratis. *Folia* conferta, petiolata, uncialia vel sesquiuncialia, oblonga, obtusa, sinuato-dentata, uninervia, utrinque tomentoso-incana; basi angustata, et in petiolum decurrentia. *Flores* sparsi, laterales et terminales, pedicellati, flavi, vix ultra semunciam lati. *Stamina* fulva. *Calyx* obtusus, extùs villosus, persistens. *Capsula* ovata, villosa, parva.

a. Calyx cum pistillo. A. Idem triplò auctus. *b.* Corolla stamina gerens.

Verbasca plura, imprimis species herbaceæ latifoliæ, Φλόμο nomine apud Græcos hodiernos vulgaris sunt notitiæ, et ad pisces inebriandos captandos inserviunt.

HYOSCYAMUS.

Linn. Gen. Pl. 98. *Juss.* 124. *Tourn. t.* 42. *Gærtn. t.* 76.

Corolla infundibuliformis, obtusa, irregularis. *Stamina* inclinata. *Capsula* operculata, bilocularis.

TABULA 230.

HYOSCYAMUS ALBUS.

Hyoscyamus foliis petiolatis sinuatis obtusis, floribus pedunculatis, corollæ tubo supernè ventricoso: medio staminifero.

H. albus. *Linn. Sp. Pl.* 257. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1011. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 389. *Matth. Valgr. v.* 2. 411. *Dod. Pempt.* 451. *Camer. Epit.* 808. *Ger. Em.* 353.

H. albus major. *Bauh. Pin.* 169.

H. albus major, vel tertius Dioscoridis et quartus Plinii. *Tourn. Inst.* 118.

Ὑοσκυαμος λευκος *Diosc. lib.* 4. *cap.* 69.

Ὑοσκύαμος, ἢ γερούλι, *hodiè.*

Ben tochunni *Turc.*

In ruderatis, muris, maritimis, et ad vias Græciæ ubique. ⊙.

Radix annua, fusiformis, albida. *Herba* glauco-pallida, pilosa, viscida, fœtens, narcotica. *Caulis* bipedalis, teres, foliosus, subramosus. *Folia* alterna, longiùs petiolata, patulo-reclinata, bi- vel tri-uncialia, cordata, venosa, flaccida, obtusè lobata et sinuata, undique pilosa. *Flores* sparsi, axillares, solitarii, plùs minùs pedunculati, erecti.

Hyoscyamus albus.

Hyoscyamus aureus.

Calyx tubulosus, pilosissimus, costatus, haud uncialis, limbo dilatato, patulo, acutiusculo, quinque-lobato, interdum sexfido. *Corolla* calyce duplò longior, obliquè incurva; tubo ochroleuco, pubescente, supernè dilatato; fauce atro-purpureâ; limbo breviusculo, inæqualitèr quinquepartito, obtuso, pallidè flavo. *Stamina* medio tubi inserta, purpuro-incarnata, pilosa. *Antheræ* incumbentes, subrotundæ, ochroleucæ, e tubo vix prominentes. *Germen* parvum, subrotundum. *Stylus* staminibus concolor, et ferè conformis, at paululùm longior. *Stigma* parvum, capitatum. *Capsula* ovata, calyce persistente, ampliato, coriaceo, obtecta.

Varietas β Linnæi, quæ *H. albus* apud Bulliard Herb. de la Fr. t. 99; *H. albus vulgaris*, Clus. Hist. v. 2. 84, nec 118; *H. albus minor*, Bauh. Pin. 169. Ger. Em. 354; floribus omnibus ferè sessilibus, in spicam foliolosam subnutantem digestis, foliis floralibus minoribus, oblongis, acutis, vix incisis, discrepat, et fortè diversa species est, in Græciâ nondum inventa.

H. albi folia genis applicata, nec non suffimen e seminibus, in dentium doloribus prodesse putant Attici et Byzantini hodierni.

a. Calyx floris, cum stylo.
b. Pistillum seorsìm, cum glandulis hypogynis, nectariferis.
c. Corolla arte expansa, cum staminibus in situ naturali.
d. Stamen e flore separatum.

TABULA 231.

HYOSCYAMUS AUREUS.

Hyoscyamus foliis petiolatis dentatis acutis, floribus pedunculatis, corollæ tubo subcylindraceo: basin versùs staminifero.

H. aureus. *Linn. Sp. Pl.* 257. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1011. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 389. *Curt. Mag. t.* 87. *Bulliard Herb. de la Fr. t.* 20. *Alpin. Exot.* 99. *t.* 98.

H. creticus luteus major, et minor. *Bauh. Pin.* 169. *Prodr.* 92. *Tourn. Inst.* 118.

H. albus creticus. *Clus. Hist. v.* 2. 84. *Ger. Em.* 354.

Ὑοσκυαμος μηλοειδης *Diosc. lib.* 4. *cap.* 69.

In muris et ruderatis Græciæ copiosè. ♂, vel ♄.

Caulis suffruticosus, erectus, bipedalis, ramosus, foliosus, teres, pilosissimus, viscosus, uti tota planta. *Folia* ut in præcedente, at crebriùs et acutè dentata ac sinuata. *Flores* copiosi, formosi, aurei, fauce violaceâ. *Calyx* basi campanulatus, margine acutè lobatus. *Corollæ* tubus declinatus, gracilis, pilosus, violaceus, sulcatus, supra basin globosam coarctatus, supernè paululùm ampliatus; limbus dilatatus, aureus, laciniis duabus superioribus longè minoribus, pallidioribus. *Stamina* pallidè violacea, pilosa, tubo ad basin ferè inserta, limbo vix breviora, inæqualia. *Stylus* staminibus

concolor et paulò longior, glaber. *Capsula* calyce aucto, persistente, pilosissimo, vestita, erecta, nec pendula.

Stirps in hybernaculis vel caldariis nostris ferè perennat, aëre stagnante humido, vix minùs quàm pruinâ ingravescenti, languescens. Qualitates ferè prioris, sed flores longè speciosiores.

a. Calyx pedunculo insidens.
b. Flos e calyce excerptus.
c. Corolla longitudinalitèr fissa, staminifera.
d. Pistillum.

ATROPA.

Linn. Gen. Pl. 99. *Juss.* 125. *Gærtn. t.* 131.

Belladona. *Tourn. t.* 13.

Mandragora. *Juss.* 125. *Tourn. t.* 12. *Gærtn. t.* 131.

Corolla campanulata. *Stamina* distantia. *Bacca* supera, bilocularis.

TABULA 232.

ATROPA MANDRAGORA.

Atropa acaulis, scapis unifloris, foliis oblongis integris.

A. Mandragora. *Linn. Sp. Pl.* 259. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1016. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 392. *Bulliard Herb. de la Fr. t.* 146. *Woodv. Med. Bot. t.* 225.

Mandragoras. *Dod. Pempt.* 457. *Matth. Valgr. v.* 2. 421.

M. mas. *Lob. Ic.* 267. *Ger. Em.* 352.

Mandragora fructu rotundo. *Bauh. Pin.* 169. *Tourn. Inst.* 76. *Mill. Ic.* 115. *t.* 173.

Μανδραγορας *Diosc. lib.* 4. *cap.* 76.

Μανδραγούρα *hodiè.*

Γοργογάνι *quandoque apud Atticos.*

In agro Eliensi, et prope Athenas. In insulis Græcis non rara. ♃. Sero autumno floret.

Radix perennis, carnosa, fusca, altè descendens; infernè divisa, teretiuscula, fibrillosa; apice multiceps. *Caulis* nullus. *Folia* cæspitosa, numerosa, erecto-patentia, spithamæa, elliptico-lanceolata, acuta, venosa, saturatè virentia, subpilosa; margine undulata, vel repanda, vix denticulata, vel crenata; subtùs pallidiora; basi in petiolum latum, marginatum, attenuata. *Pedunculi* copiosi, radicales, axillares, solitarii,

Atropa . Mandragora?

Physalis somnifera?

simplicissimi, uniflori, teretes, purpurascentes, glabriusculi, foliis triplò breviores. *Calyx* quinquepartitus, pilosus, persistens, post florescentiam duplò auctus, laciniis lanceolatis, carinatis, acutis, subintegerrimis. *Corolla* uncialis, vel paulò major, monopetala, albida, venis anastomosantibus dilutè violaceis, quandoque virentibus; tubo campanulato, longitudine calycis; limbo ejusdem ferè longitudinis, quinquepartito, regulari, laciniis ovatis, patentibus, acutis. *Stamina* corollæ basi inserta, longitudine tubi, filiformia, alba, villorum fasciculo denso infernè barbata, antheris oblongis, verticalibus, bilobis. *Germen* superum, ovatum, glabrum. *Stylus* cylindraceus, glaber, staminibus paulò longior. *Stigma* capitatum, album. *Bacca* ovata, mollis, fulva, seminibus numerosis, reniformibus, flavescentibus.

Herba fœtens, nauseosa, venenata, variat radicis divisione, foliorum latitudine ac proportione, florum colore, nec non fructûs formâ et magnitudine. Hinc apud auctores sub duplici vel triplici aspectu occurrit, fabulis anilibus, proprietatibusque superstitiosis, tam dedecorata, ut narratores commentis suis horrent. Radicis frustula, in sacculis gesta, pro amuleto amatorio hodiè, apud juvenes Atticos, in usu sunt.

a. Calyx cum pistillo.
b. Corolla, arte explanata, cum staminibus.
c. Pistillum seorsìm.
d. Bacca matura.
e. Semen.

Omnia magnitudine naturali.

PHYSALIS.

Linn. Gen. Pl. 99. *Juss.* 126. *Gærtn. t.* 131.

Alkekengi. *Tourn. t.* 64.

Corolla rotata. *Stamina* conniventia. *Bacca* intra calycem inflatum, bilocularis.

TABULA 233.

PHYSALIS SOMNIFERA.

Physalis caule fruticoso, ramis rectis, floribus verticillato-confertis, calyce mutico, foliis pubescentibus.

Ph. somnifera. *Linn. Sp. Pl.* 261. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1019. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 392. *Cavan. Ic. v.* 2. 2. *t.* 103.

Solanum somniferum. *Matth. Valgr. v.* 2. 417. *Clus. Hist. v.* 2. 85. *Ger. Em.* 339. *Camer. Epit.* 815.

S. somniferum verticillatum. *Bauh. Pin.* 166.

Alkekengi fructu parvo verticillato. *Tourn. Inst.* 151.
Στρυχνος ὑπνοτικος *Diosc. lib.* 4. *cap.* 73.

In Cypri et Eubœæ petrosis maritimis. ♄.

Radix perennis, ramosa. *Caules* plures, erecti, suffruticosi, bipedales, parùm ramosi, foliosi, teretes, pubescentes, fistulosi. *Folia* opposita, petiolata, ovata, acutiuscula, integerrima, subcarnosa, venosa, circitèr triuncialia, ad nervos præcipuè pulverulento-pubescentia; basi aliquantulùm producta. *Petioli* unciales. *Verticilli* numerosi, axillares, multiflori, densi, luteo-virentes. *Flores* parvi, pedunculati. *Calyx* ovatus, extùs densè lanatus, uti pedunculus; limbo quinquepartito, patente, laciniis linearilanceolatis, muticis, intùs glabris: post florescentiam insignitèr auctus, clausus, scariosus, pallidè rubicundus, quinquangularis, reticulato-venosus, pubescens, persistens. *Corolla* subcampanulata, ochroleuca, viridi lineata, decidua; limbo quinquepartito, revoluto-patente, longitudine tubi. *Stamina* tubo inserta, filiformia, glabra, *antheris* incumbentibus, flaveolis, vix e tubo prominentibus. *Germen* superum, globosum, exiguum. *Stylus* cylindraceus, longitudine staminum, *stigmate* capitato. *Bacca* in fundo calycis inflati, magnitudine pisi majoris, globosa, umbilicata, subdepressa, pulchrè miniata, nitida, polysperma. *Semina* reniformia.

a. Calyx cum stylo.
b. Corolla cum staminibus et pistillo in situ naturali.
c. Eadem longitudinalitèr secta et expansa.
d. Calyx fructûs.
e. Bacca.
f. Semen.

TABULA 234.

PHYSALIS ALKEKENGI.

Physalis foliis geminis acutis subrepandis, caule herbaceo infernè subramoso, floribus lateralibus solitariis.

Ph. Alkekengi. *Linn. Sp. Pl.* 262. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1022. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 394.
Solanum halicacabum. *Matth. Valgr. v.* 2. 416. *Ger. Em.* 342. *Camer. Epit.* 813.
S. vesicarium. *Dod. Pempt.* 454. *Bauh. Pin.* 166.
Halicacàbum vulgare. *Fuchs. Hist.* 687.
Halicacabon. *Trag. Hist.* 302.
Alkekengi officinarum. *Tourn. Inst.* 151.
Στρυχνος ἁλικακαβος *Diosc. lib.* 4. *cap.* 72.
Κερασούλια *Bœotic.*

In Parnassi et Olympi Bithyni umbrosis, et circa Byzantium. ♃.

Physalis Alkekengi.

(*Solanum sodomeum?*)

Radix perennis, filiformis, geniculata, fibrillosa, latissimè repens, difficillimè extirpanda. *Caules* herbacei, annui, erecti, sesquipedales, foliosi, multiflori; basin versùs divisi, teretiusculi; ramis supernè simplicibus, patulis, flexuosis, angulatis, pubescentibus. *Folia* alterna, petiolata, ovata, acuta, repanda, vel obsoletè angulata, ferè triuncialia, singula alio plerumque, laterali vel axillari, longèque minore, comitata; omnia saturatè viridia, lurida, venosa, piloso-scabriuscula; basi in petiolum decurrentia. *Pedunculi* axillares, solitarii, simplices, uniflori, nutantes, pilosi, ebracteati, longitudine petiolorum. *Flores* cernui, albidi, vix unciales. *Calyx* floris parvus, campanulatus, villosus, acutè quinquedentatus; post florescentiam maximè auctus, demùm sesquiuncialis, cordato-ovatus, quinquangulatus, inflatus, reticulato-venosus, scariosus, pubescens, pulchrè miniatus, pendulus, *baccam* coccineam, magnitudine cerasi minoris, polyspermam, acidulam, in sinu fovens. *Corolla* rotata, acutè quinqueloba, plicata, lactea, extùs pubescens. *Stamina* subulata, glabra, alba, basi corollæ inserta, limbo duplò breviora, *antheris* incumbentibus. *Germen* ovatum, glabrum. *Stylus* declinatus, cylindraceus, staminibus duplò longior, *stigmate* capitato.

a. Corolla arte expansa, cum staminibus.
b. Pistillum.
c. Bacca, avulso calyce.
d. Semen.

SOLANUM.

Linn. Gen. Pl. 100. *Juss.* 126. *Tourn. t.* 62. *Gærtn. t.* 131.

Corolla rotata. *Antheræ* subcoalitæ, apice poro gemino dehiscentes. *Bacca* supera, bilocularis.

TABULA 235.

SOLANUM SODOMEUM.

Solanum undique aculeatum, caule fruticoso tereti, foliis pinnatifido-sinuatis rotundatis scabriusculis, calycibus fructu brevioribus.

S. sodomeum. *Linn. Sp. Pl.* 268. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1043. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 1. 403.

S. pomiferum frutescens africanum spinosum nigricans, borraginis flore, foliis profundè laciniatis. *Herm. Lugd. Bat.* 573. *t.* 575. *Tourn. Inst.* 149. *Moris. v.* 3. 521. *Pluk. Almag.* 351. *Phyt. t.* 226. *f.* 5.

S. pomiferum, foliis quercûs utrinque spinosis, flore borraginis. *Moris. sect.* 13. *t.* 1. *f.* 15.

S. spinosum, profundè laciniatis foliis subtùs lanuginosis Maderaspatanum. *Pluk. Almag.* 351. *Phyt. t.* 316. *f.* 4.

In Siciliâ legit Cl. Sibthorp. ♄.

Caulis fruticosus, erectus, tripedalis, alternatìm ramosus, foliosus, teres, fusco-purpurascens, undiquè laxè scabriusculus, pilis stellatis, sparsis, uti tota herba; nec non aculeatus, aculeis fusco-nigris, nitidis, porrectis, validis, sparsis, basi dilatatis, compressis. *Folia* alterna, petiolata, patentia, tri- vel quadri-uncialia, profundè pinnatifida, saturatè viridia, piloso-scabra, venosa; lobis dilatatis, rotundatis, obtusis, repandis vel subincisis; nervo utrinque aculeato, aculeis gracilioribus. *Petioli* canaliculati, marginati, scabri, densè aculeati. *Pedunculi* laterales, internodes, solitarii, racemosi, subquadriflori, scabri, aculeati. *Flores* magnitudine *Solani tuberosi*, speciosi, lætè purpurei, patentes. *Calyx* quinquepartitus, extùs densè aculeatus, sicut *pedicelli* omnes, aculeis minoribus, inæqualibus. *Corolla* rotata, plicata, venoso-corrugata, lobis acutis. *Stamina* vix corollæ inserta, *filamentis* brevissimis ut ferè nullis; *antheris* magnis, ovato-oblongis, conniventibus, æqualibus, aureis, corollâ duplò brevioribus, apice biporosis. *Germen* superum, globosum, parvum, *stylo* paululùm extrà antheras prominente, *stigmate* parvo, obtuso. *Bacca* depresso-globosa, diametro unciali vel sesquiunciali, flava, nitida, glaberrima, calyce persistente, longè breviori, suffulta; intùs viscida, amara, nauseosa, notante Hermanno maximè deleteria; demùm pulverulento-sicca, friabilis, unde, ut videtur, nomen specificum.

a. Calyx, cum staminibus et stylo, pedicello innixus.
b. Corolla seorsìm.
c, c. Baccæ maturæ.
d, D. Semen.

LYCIUM.

Linn. Gen. Pl. 103. *Juss.* 126. *Gærtn. t.* 132.

Jasminoides. *Mich. Gen.* 224. *t.* 105.

Corolla tubulosa; tubo cylindraceo, medium versùs staminifero. *Antheræ* incumbentes. *Calyx* urceolatus, quinquedentatus. *Bacca* supera, bilocularis.

TABULA 236.

LYCIUM EUROPÆUM.

Lycium foliis fasciculatis obovato-lanceolatis obliquis, ramis flexuosis teretibus, ramulis spinescentibus, caule erecto.

L. europæum. *Linn. Sp. Pl. ed.* 1. 192. *Mant.* 47. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1059. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 4.

Lycium europæum?

Chironia maritima?

Jasminoides aculeatum, salicis folio, flore parvo, ex albo purpurascente. *Mich. Gen.* 224. *t.* 105. *f.* 1.

Rhamnus primus. *Clus. Hist. v.* 1. 109. *Dod. Pempt.* 754. *Ger. Em.* 1334.

R. spinis oblongis, flore candicante. *Bauh. Pin.* 477.

Ῥαμνος *Diosc. lib.* 1. *cap.* 119.

Ῥάμνος *hodiè.*

In sepibus Græciæ vulgaris, at vix indigena. *D. Hawkins.* ♄.

Frutex caule ramisque lignosis, elongatis, teretiusculis, *ramulis* alternis, brevibus, porrectis, apice spinescentibus, validis. *Gemmæ* numerosæ, sparsæ, protuberantes, perennes, foliosæ atque floriferæ. *Folia* fasciculata, quaterna, quina, vel plura, e singulis gemmis, inæqualia, obovato-lanceolata, obtusa, integerrima, lævia, nuda, uninervia, obliquè flexa, uncialia, sive biuncialia, decidua; basi in *petiolum* brevem attenuata. *Flores* autumnales, solitarii vel gemini, ex eâdem cum foliis gemmâ, pedunculati, cernui, inodori. *Calyx* parvus, campanulatus, obtusè et inæqualitèr quinquefidus, glaber, persistens. *Corolla* calyce multò longior; tubus uncialis, infundibuliformis, virescens; limbus tubo quadruplò brevior, patens, quinquefidus, regularis, obtusus, dilutè violaceus, venis rubris reticulatus. *Stamina* filiformia, vix longitudine tubi, paululùm inæqualia. *Antheræ* parvæ, subrotundæ, incumbentes, flavæ. *Germen* superum, subrotundum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* capitatum. *Bacca* calyci insidens, globosa, magnitudine pisi, saturatè fulva.

a. Calyx.
b, c. Corolla cum staminibus.
d. Pistillum.
e. Bacca.
Omnia magnitudine naturali.

CHIRONIA.

Linn. Gen. Pl. 101. *Juss.* 142. *Gærtn. t.* 114.

Corolla hypocrateriformis. *Stamina* tubo inserta. *Antheræ* demum spirales. *Stylus* declinatus. *Pericarpium* superum, valvulis inflexis biloculare.

TABULA 237.

CHIRONIA MARITIMA.

Chironia caule herbaceo dichotomè corymboso stricto, foliis ovato-oblongis, calyce longitudine tubi.

Ch. maritima. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1069.

Gentiana maritima. *Linn. Mant.* 55. *Cavan. Ic. v.* 3. 49. *t.* 296. *f.* 1.
Centaurium luteum pusillum. *Bauh. Pin.* 278. *Tourn. Inst.* 123.
C. luteum novum. *Column. Ecphr. pars* 2. 78. *t.* 77.
C. minus luteum angustifolium, non perfoliatum. *Bocc. Mus.* 83. *t.* 76. *Barrel. Ic. t.* 467.
C. minus luteum latifolium, non perfoliatum. *Ibid. t.* 468.

In littore Messeniaco, et in insulâ Zacyntho. ⊙.

Radix parva, attenuata, infernè subramosa, annua. *Caulis* spithamæus, erectus, strictus, quadrangularis, glaber, foliosus; ramis inferioribus paucis, alternis; superioribus oppositis, dichotomis. *Folia* opposita, erecto-patentia, sessilia, uncialia, ovata, acuta, integerrima, glabra, obsoletè trinervia; superiora sensìm elongata. *Flores* e dichotomiâ caulis, nec non in apicibus ramulorum, solitarii, pedunculati, erecti, flavi, parùm numerosi. *Calyx* uncialis, glaber, ad basin ferè quinquepartitus, laciniis erectis, acuminato-setaceis, persistentibus. *Corollæ tubus* calyce haud longior, apice paululùm constrictus; *limbus* patens, tubo quadruplò brevior, laciniis ovatis, obtusiusculis, æstivatione imbricatis. *Stamina* apicem versùs tubi inserta, brevia, filiformia; *antheris* parvis, vix exsertis, post anthesin spiralitèr tortis. *Germen* elliptico-oblongum, compressum, utrinque sulcatum, tubo brevior. *Stylus* simplex, brevis, indivisus. *Stigmata* paululùm super antheras elevata, brevia, crassa, divaricata. *Capsula* calyce atque corollâ emarcidâ diu persistenti tecta, lineari-oblonga, subtetragona, uncialis, bilocularis, dissepimento e valvularum marginibus utrinque involutis. *Semina* numerosissima, subrotunda, minuta.

Caulis nec procumbens, neque teres est; folia minimè uninervia, styli non gemini, nec corollæ laciniæ lineari-acuminatæ. Confer auctores suprà citatos. *Chironia maritima* Ait. Hort. Kew. v. 2. 6, nova species est, radice perenni, caulibus diffusis, floreque pluribus notis diverso gaudens.

a. Calyx pedunculo insidens.
b. Corolla arte expansa, cum staminibus nondum effœtis.
c. Pistillum.

TABULA 238.

CHIRONIA SPICATA.

Chironia caule herbaceo ramosissimo dichotomo; ramulis spicatis, calyce longitudine tubi, staminibus exsertis.

Ch. spicata. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1069.
Gentiana spicata. *Linn. Sp. Pl.* 333.
Centaurium minus, spicatum, flore rubro. *Vallot. Hort. Reg. Paris.* 44. *Tourn. Inst.* 122.
β. C. minus, spicatum, album. *Bauh. Pin.* 278. *Prodr.* 130, *cum icone*. *Tourn. Inst.* 123.

Chironia spicata?

Rhamnus pubescens.

In uliginosis inter Athenas et maris littora; etiam in insulâ Zacyntho. ⊙.

Radix præcedentis. *Caulis* erectus, pedalis, tereti-quadrangularis, glaber, foliosus, e basi ferè ramosus, apice dichotomus. *Rami* oppositi, brachiati, tetragoni, dichotomi, spicati, multiflori, erecti. *Folia* opposita, sessilia, patentia, ovata, vel obovato-oblonga, obtusiuscula, trinervia, integerrima, glabra, magnitudine varia. *Flores* primordiales e dichotomiâ caulis, solitarii, brevissimè pedunculati; reliqui laxè spicati, alterni, omninò sessiles. *Calyx* quinquepartitus; laciniis erecto-conniventibus, subulatis, tubo parùm brevioribus. *Corollæ* tubus albus, infernè ventricosus; limbi laciniis ovato-lanceolatis, acutis, roseis, quandoque niveis. *Stamina* medio tubi inserta, limbo dimidiò breviora. *Antheræ* flavæ, oblongæ, post anthesin spirales. *Germen* ellipticum. *Stylus* longitudine staminum, rectus, angulatus. *Stigmata* brevia, crassa, rotundata. *Capsula* elliptico-oblonga, calyce brevior, tubo corollæ persistente tecta.

a. Flos calyce orbatus.
b. Calyx seorsìm.
c. Pistillum.
D. Corolla cum staminibus, triplò aucta.
E. Calyx et Pistillum.

RHAMNUS.

Linn. Gen. Pl. 105. *Juss.* 380. *Gærtn. t.* 106.

Calyx urceolatus. *Petala* quatuor vel quinque, staminibus opposita.
Bacca supera.

TABULA 239.

RHAMNUS PUBESCENS.

Rhamnus inermis, floribus dioicis semidigynis, foliis subintegerrimis villosis lineatis obovato-rhombeis.

In monte Parnasso. ♄.

Arbuscula inconditè ramosa; ramis teretiusculis, tortuosis, nodosis; junioribus densè pubescentibus, incanis, foliosis. *Folia* conferta, alterna, petiolata, obovato-rhombea, vel subrotunda, obtusiuscula, inæqualitèr et obsoletè crenata, quandoque repanda, decidua; utrinque mollissimè pubescentia; suprà sulcata, reticulato-venulosa; subtùs, inter nervos parallelos, sulcata, magisque villosa. *Petioli* breves, crassiusculi, villosi. *Stipulæ* oppositæ, lineari-oblongæ, membranaceæ, coloratæ, pilosæ, petiolis

duplò longiores, deciduæ. *Flores* dioici, axillares, conferti, pedunculati, parvi, virescentes, *pedunculis* simplicibus, pilosis. *Calyx* quadrifidus, patens; extùs villosus. *Petala*, in flore masculino, quatuor, obtusa, parva, alba, *staminibus* supposita, et vix longiora; in flore fœmineo nulla. *Germen* in flore tantùm fœmineo, sine staminum rudimentis, ovatum, glabrum. *Stylus* ad basin usque divisus, divaricatus, *stigmatibus* obtusis, simplicibus.

Rhamno alpino similis, diversus tamen foliis pubescentibus, obsoletè crenatis, sæpè integerrimis; stylo bipartito, nec stigmate quadrifido in stylo simplici.

a. Florum fasciculus, magnitudine naturali. B. Flos masculus auctus. C. Flos fœmineus.

PALIURUS.

Juss. 380. *Smith apud Rees Cyclop. v.* 26. *Tourn. t.* 387. *Gærtn. t.* 43.

Rhamnus. *Linn. Gen. Pl.* 105.

Calyx urceolatus; basi persistente. *Petala* quinque, staminibus opposita. *Capsula* supera, coriacea, trilocularis, clausa, margine dilatato. *Semina* solitaria.

TABULA 240.

PALIURUS AUSTRALIS.

Paliurus australis. *Gærtn. v.* 1. 203.

Paliurus. *Dod. Pempt.* 756. *Ger. Em.* 1336. *Lob. Ic. v.* 2. 179. *Besl. Eyst. autumn. sect.* 3. *t.* 9. *f.* 1. *Duham. Arb. v.* 2. 96. *t.* 18. *Tourn. Inst.* 616.

P. aculeatus. *Desfont. Atlant. v.* 1. 199.

Rhamnus Paliurus. *Linn. Sp. Pl.* 281. *Pallas. Ross. v.* 1. *p.* 2. 27. *t.* 64.

Rh. tertius. *Matth. Valgr. v.* 1. 142. *Camer. Epit.* 80.

Rh. sive Paliurus, folio jujubino. *Bauh. Hist. v.* 1. *p.* 2. 35.

Ziziphus Paliurus. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1103. *Arb.* 415. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 18. *Sims apud Curt. Mag. t.* 1893. *Prodr. nostr. v.* 1. 159.

Ῥαμνος τρισσος. *Diosc. lib.* 1. *cap.* 119.

Παλιούρι *hodiè.*

In sepibus et dumetis per totam Græciam. ♄.

Caulis fruticosus, laxus, reclinatus, elongatus, flexuosus, ramosissimus, teres, lævis, glaucescens, aculeatus, *aculeis* geminis, stipularibus, quorum unus plerumque brevior,

c c d c a a B

Paliurus australis.

Ziziphus vulgaris.

magisque aduncus. *Folia* alterna, petiolata, latè ovata, obtusiuscula, trinervia, venosa, crenata, utrinque glabra; subtùs aliquantulùm pallidiora, decidua. *Petioli* breviusculi, glabri. *Stipulæ* spinosæ, exiguæ, demùm auctæ, induratæ, et persistentes. *Racemi* apicem ramulorum versùs, axillares et terminales, breves, subcorymbosi, glabri. *Flores* luteoli, quinquefidi, planiusculi. *Càlycis* laciniæ ovatæ. *Petala* calyce paulò breviora, obovata, concava, unguiculata. *Stamina* sub receptaculo discoideo, convexo, floris inserta, petalis incumbentia, *antheris* didymis. *Germen* in fundo calycis, depressum. *Stylus* brevissimus. *Stigmata* tria, crassiuscula, patentia. *Capsula* orbiculata, rufescens, uncialis; subtùs ad basin costata, annulata; suprà convexa, cum mucronulo; margine ampliata, depressa, striata, crenata, vel repanda; intùs suberosa, trilocularis, nunquam dehiscens. *Semina* solitaria, subrotunda, compressa, hinc angulata.

Frutex valdè aculeatus, intricatus et tenax, sepibus idoneus. Hoc genus a *Rhamno*, haud minùs quam *Ziziphus*, ob fructum peculiarem, distingui oportet.

a, *a*. Flos anticè, atque posticè, visus.
B. Idem insignitèr auctus.
c, *c*. Capsula matura, magnitudine naturali.
d. Semen.
e. Ejusdem sectio transversa.

ZIZIPHUS.

Juss. 380. *Tourn. t.* 403. *Gærtn. t.* 43.

Rhamnus. *Linn. Gen. Pl.* 105.

Calyx urceolatus. *Petala* quinque, staminibus opposita. *Drupa* supera, nuce biloculari.

TABULA 241.

ZIZIPHUS VULGARIS.

Ziziphus aculeis geminis inæqualibus, foliis ovatis retusis serratis glabris, floribus axillaribus, drupâ ellipticâ.

Z. vulgaris. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1105. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 19.
Ziziphus. *Dod. Pempt.* 807. *Ger. Em.* 1501. *Camer. Epit.* 167. *Trag. Hist.* 1022. *Tourn. Inst.* 627.
Z. rutila. *Clus. Hist. v.* 1. 28.
Z. cappadocica. *Dalech. Hist.* 111.
Zizypha. *Matth. Valgr. v.* 1. 244. *Dale Pharmac.* 341.
Rhamnus Zizyphus. *Linn. Sp. Pl.* 282. *Berg. Mat. Med. v.* 1. 151. *Pall. Ross. v.* 1. *p.* 2. 24. *t.* 59.

Jujubæ majores oblongæ; nec non Jujuba sylvestris. *Bauh. Pin.* 446.
Jujube Arabum. *Lob. Ic. v.* 2. 178.
Παλιουρος. *Theophrast. lib.* 4. *cap.* 4. *Diosc. lib.* 1. *cap.* 121.
Τζίντζιφον, ἢ Ζίζιφι, *hodiè.*

Circa Megaram, et in monte Parnasso. ♄.

Arbor humilis; *ramis* alternis, divaricatis, teretibus, lævissimis, glaucis, aculeatis; *ramulis* aggregatis, simplicibus, angulato-teretibus, subflexuosis, glabriusculis, foliosis, inermibus. *Aculei* ad basin ramorum et ramulorum, gemini, divaricati, subulati, rigidi, fusci, inæquales, plùs minùs adscendentes. *Folia* alterna, ferè disticha, breviùs petiolata, ovata, obtusè serrata, trinervia, glabra, vix sesquiuncialia; apice aliquantulùm producta, obtusa, emarginata. *Flores* axillares, aggregati, sæpiùs quatuor vel quinque, brevissimè pedunculati, luteo-virentes, quinquefidi, planiusculi, glabri, formâ et magnitudine ferè præcedentis. *Drupa* ovata, rubra, glaberrima, haud uncialis, utrinque subumbilicata; cute membranaceâ; carne albidâ, mucilaginosâ. *Nux* elliptica, corrugata, lapidea, utrinque acuta, evalvis, bilocularis, nucleis solitariis.
Fructus edulis, dulcis, lubricans, acrimoniam omnem obtundens, parùm nutriens; hodiè apud medicos inusitatus. De synonymis Theophrasti vel Dioscoridis, mihi dubitatio nulla est.

a, A. Flos magnitudine naturali et auctâ.

VITIS.

Linn. Gen. Pl. 112. *Juss.* 267. *Gærtn. t.* 106.

Calyx quinquedentatus. *Petala* apice cohærentia, emarcida, decidua.
Bacca supera. *Semina* quinque, obovata, erecta.

TABULA 242.

VITIS VINIFERA.

Vitis foliis cordatis quinquelobis sinuatis nudis.

V. vinifera. *Linn. Sp. Pl.* 293. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1180. *Ait. Hort. Kew. v.* 2. 51. *Schmidel. Ic.* 32. *t.* 7. *Jacq. Ic. Rar. t.* 50. *Matth. Valgr. v.* 2. 655. *Camer. Epit.* 1003. *Ger. Em.* 875.
V. sylvestris, Labrusca. *Tourn. Inst.* 613.
Αμπελος αγρια. *Diosc. lib.* 5. *cap.* 2.

Vitis vinifera.

Lagoecia cuminoides.

Αμπελος οινοφορος. *Ejusd. lib.* 5. *cap.* 1.
Κλῆμα, ἢ Αγριάμπελος, *hodiè.*
Σταφίδα ἢ Αμπελόνα *Zacynth.*

Ad fluviorum margines Græciæ, omninò indigena. *D. Hawkins.* ♄.

Caulis lignosus, elongatus, ramosissimus, reclinatus, vel scandens, cortice filamentoso, deciduo; *ramulis* alternis, laxis, teretiusculis, striatis, foliosis, cirrhiferis; junioribus lanatis. *Folia* alterna, petiolata, patentia, cordata, rotundata, semiquinqueloba, incisa, inæqualitèr serrata, venosa, decidua; juniora mollissimè lanata, imprimis paginâ inferiori, tomento deciduo. *Petioli* teretiusculi, vix longitudine foliorum. *Cirri* oppositifolii, divisi, spirales, foliis longiores. *Paniculæ* oppositifoliæ, in loco cirrorum, pendulæ, ramosissimæ, laxæ, bracteolatæ, multifloræ; *pedicellis* fasciculatis, subumbellatis, capillaribus. *Flores* virides, parvi, suaveolentes. *Calyx* monophyllus, discoideus, quinquedentatus. *Petala* quinque, oblonga, erecta; apice cohærentia, obtusa, lanata; basi mox secedentia, staminibus elongatis elevata, decidua. *Stamina* filiformia, glabra, delapsis petalis patentia. *Antheræ* oblongæ, incumbentes, flavæ. *Germen* superum, subrotundum. *Stylus* brevissimus. *Stigma* simplex. *Bacca* globosa, atropurpurea, magnitudine pisi, pentasperma.

Varietates in Græciâ cultæ, fructu præcipuè diversæ, numerosæ sunt.

a. Florum fasciculus.
B. Flos multùm auctus, nondum expansus.
C. Idem, petalis mox decedentibus.
D. Calyx cum staminibus et pistillo, corollâ delapsâ.

LAGOECIA.

Linn. Gen. Pl. 112. *Juss.* 227. *Gærtn. t.* 23.

Involucrum universale et partiale. *Perianthium* superum, pentaphyllum.
Petala bifida. *Semina* solitaria, nuda.

TABULA 243.

LAGOECIA CUMINOIDES.

Lagoecia cuminoides. *Linn. Sp. Pl.* 294. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1184. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 53.
Cuminoides vulgare. *Tourn. Inst.* 301.
Cuminum sylvestre, capitulis globosis. *Bauh. Pin.* 146.
C. sylvestre primum. *Matth. Valgr. v.* 2. 117. *Dalech. Hist.* 697. *Camer. Epit.* 519.

C. sylvestre. *Dod. Pempt.* 300. *Ger. Em.* 1067.
Κυμινον αγριον. *Diosc. lib. 3. cap.* 69.
Αγριοριγανὶ *hodiè.*

In arvis et vineis Græciæ frequens. ⊙.

Radix annua, fusiformis, gracilis, albida, infernè ramosa. *Caules* solitarii, vel plures, erecti, vix spithamæi, ramosi, foliosi, teretes, striati, glabri; *ramis* alternis, subcorymbosis. *Folia* alterna, impari-pinnata, biuncialia; petiolo communi brevi, dilatato, vaginante; *foliolis* numerosis, oppositis, parvis, cuneato-subrotundis, glabris, multifidis, laciniis apice setosis. *Umbellæ* terminales, numerosæ, globosæ, virentes, diametro haud unciales. *Involucrum universale* octophyllum; *foliolis* pinnato-dentatis, ciliatis, deflexis, longitudine ferè umbellæ: *partiale* tetraphyllum, pedunculatum, uniflorum; *foliolis* pinnatis, multifido-setosis, floris pedicello longioribus. *Flos* pedicellatus, erectus, solitarius. *Perianthium* superum, magnum, pentaphyllum, patens, deciduum; *foliolis* æqualibus, lanceolatis, pinnatifidis; laciniis setaceis, scabriusculis. *Petala* desunt. *Stamina* quinque, calyce quadruplò breviora, filiformia, patentia. *Antheræ* subrotundæ, didymæ, albæ. *Germen* elliptico-oblongum. *Stylus* brevissimus. *Stigmata* duo, exigua, inæqualia. *Semen* solitarium, ovatum, punctato-scabrum, angulatum, gibbum.

Seminum rudimenta duo, in singulo germine, semper inveniuntur. *Gærtner.*

Odor herbæ, et præcipuè seminum, acris, aromaticus, ad *Origana* quædam accedens.

a. Involucrum universale, cum pedunculo.
b. Flos seorsìm, cum involucro partiali.
C. Idem auctus, apetalus.
d, D. Idem post anthesin, germine intumescente.
e, *e*, E. Semina, magnitudine naturali et auctâ.

ACHYRANTHES.

Linn. Gen. Pl. 113. *Juss.* 88. *Gærtn. t.* 128.

Calyx pentaphyllus. *Squamæ* quinque, fimbriatæ, cum staminibus alternantes. *Stigma* capitatum. *Capsula* monosperma, clausa.

TABULA 244.

ACHYRANTHES ARGENTEA.

Achyranthes foliis ovatis acuminatis; subtùs sericeis, calycibus fructiferis reflexis adpressis, involucro pungente triphyllo.

A. argentea. *Lamarck Dict. v.* 1. 545. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1191. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 56.

Achyranthes argentea?





Illecebrum echinatum?

A. aspera, α, sicula. *Linn. Sp. Pl.* 295.

Amaranthus siculus spicatus, radice perenni. *Bocc. Sic.* 16. *t.* 9. *Pluk. Almag.* 26. *Phyt. t.* 260. *f.* 2. *Tourn. Inst.* 235.

In Siciliâ. 2.

Radix elongata, fibrillosa, perennis. *Caulis* erectus, tripedalis, suffruticosus, ramosus, foliosus; ramis oppositis, rectis, quadrangulis, pilosis, apice floriferis. *Folia* opposita, petiolata, patentissima, ovata, acuminata, integerrima, subrepanda, uninervia, venosa; suprà lætè viridia, nudiuscula; subtùs pallidiora, argenteo-sericea, pilis adpressis. *Petioli* breviusculi, pilosi. *Spicæ* terminales, solitariæ, rectæ, graciles, spithamææ, vel etiam pedales, multifloræ. *Flores* sessiles, conferti, erecti, parvi, numerosissimi, glabri, nitidi; post anthesin clausi, arctè, in pedunculum communem pubescentem, reflexi. *Calycis* foliola lanceolata, acuminata, recta, demùm subpungentia, *involucro* triphyllo, pungente, pari modo reflexo, longiora. *Petala* nulla. *Nectarium* turbinatum, membranaceum, pallidum, germen cingens, margine staminiferum, squamis quinque obovatis, fimbriatis, roseis, staminibus interstinctis, duplòque brevioribus. *Filamenta* subulata, æqualia, glabra, rubra, patentia, calyce breviora. *Antheræ* incumbentes, oblongiusculæ, fulvæ. *Germen* superum, subrotundum. *Stylus* erectus, filiformis, staminibus brevior. *Stigma* capitatum. *Capsula* tenuissima, evalvis. *Semen* solitarium, ovatum, acutum.

a. Flos seorsìm.
B. Idem insignitèr auctus.
C. Nectarium cum squamis, staminibus, et stylo.
d, D. Calyx fructifer, cum involucro.

ILLECEBRUM.

Linn. Gen. Pl. 114. *Juss.* 89.

Calyx pentaphyllus, cartilagineus, inferus. *Corolla* nulla. *Stigma* lobatum. *Capsula* quinquevalvis, monosperma.

TABULA 245.

ILLECEBRUM ECHINATUM.

Illecebrum floribus capitatis axillaribus, bracteis calyce brevioribus, caulibus procumbentibus.

I. cymosum. *Prodr. v.* 1. 163; excluso synonymo Linnæano.

Paronychia lusitanica, polygoni folio, capitulis echinatis. *Tourn. Inst.* 508.

Polygonum capitulis ad genicula echinatis. *Bocc. Sic.* 40. *t.* 20. *f.* 3. *Raii Hist.* 214.

In Cretæ arenosis maritimis. *D. Ferd. Bauer.* ⊙.

Radix simplex, gracilis. *Caules* plures, herbacei, diffusi, ramosi, teretes, glabriusculi, rubicundi, foliosi, palmares. *Folia* opposita, subsessilia, elliptico-lanceolata, acuta, glabra; margine denticulato-scabra. *Stipulæ* binæ, lanceolatæ, acuminatæ, scariosæ, niveæ. *Capitula* sæpiùs solitaria, axillaria, vel oppositifolia, alterna, sessilia, multiflora, bracteolata, foliis longè breviora. *Bracteæ* calyce duplò vel triplò breviores, lanceolatæ, acuminatæ, niveæ, tenuissimæ, persistentes. *Flores* sessiles, congesti, virides. *Calycis* foliola quinque, patentia, oblonga, concava; apice subfornicata, acuminata, aristata; basi extùs pilosa: post anthesin conniventia, truncata, mucronibus patentibus, persistentia. *Stamina* quinque, foliolis calycinis opposita, brevissima, setis totidem, duplò ferè longioribus, membranâ tenui connexis, interstinctis. *Antheræ* didymæ, flavescentes. *Germen* superum, orbiculato-depressum. *Stylus* brevissimus. *Stigma* bilobum, obtusum. *Capsula* globosa, membranacea, fusca, stylo mucronata, unilocularis, vix dehiscens. *Semen* solitarium, globosum, fuscum, nitidum.

Dubii generis herba, ob capsulam vix dehiscentem, quâ notâ, nec non setis interstamineis, cum *Herniariâ* convenit, nequaquàm verò calyce vel pistillo. Ab *Illecebro verticillato, cymoso*, aut *Paronychiâ*, genere minimè disjungi potest, quamvis species distinctissima. Cum *cymoso* olim, Linnæo duce, confudimus. Hoc foliis quaternis, linearibus, floribusque cymosis, ut et calyce glabro, bracteisque sparsis, differt.

a, A. Flos, magnitudine naturali et auctâ.
b, B. Calyx fructum includens.
C. Capsula.
d, D. Semen.

TABULA 246.

ILLECEBRUM PARONYCHIA.

Illecebrum bracteis subquinis nitidis flore triplò longioribus, foliolis calycinis retusis aristatis, caulibus procumbentibus.

I. Paronychia. *Linn. Sp. Pl.* 299. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1206. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 60.

Herniaria squamis nitidis flores superantibus. *Linn. Hort. Cliff.* 41.

Polygonum minus, candicans. *Bauh. Pin.* 281.

P. montanum. *Ger. Em.* 566.

Polygoni hispanici genus Clusii. *Dalech. Hist.* 1125.

Paronychia hispanica. *Clus. Hist. v.* 2. 182. *Tourn. Inst.* 507. *Bauh. Hist. v.* 3. *p.* 2. 374.

Παρωνυχια *Diosc. lib.* 4. *cap.* 54? Sibth.

In arenosis siccis insularum Græcarum frequens. ♃.

Alsine rubra.

Illecebrum capitatum?

Radix simplex, teres, sublignosa, tenax, perennis. *Caules* plurimi, palmares aut spithamæi, undique diffusi, procumbentes, laxi, teretes, glabriusculi, alternatìm ramosi, foliosi, multiflori. *Folia* opposita, breviùs petiolata, ovata vel obovata, acutiuscula, integerrima, glabra, magnitudine varia. *Stipulæ* interfoliaceæ, oppositæ, ovatæ, acuminatæ, scariosæ. *Flores* conferti, parvi, virentes, seorsìm obvallati *bracteis* quinis, pluribusve, ovatis, patentibus, scariosis, argenteis, paululùm inæqualibus, flore triplò circitèr longioribus, persistentibus. *Calycis* foliola obovata, concaviuscula, retusa, aristata, vix mucronata, persistentia; margine scariosa. *Stamina* brevissima, *antheris* didymis, fulvis, absque setis squamisve intermediis. *Germen* subrotundum. *Stylus* brevis. *Stigma* obtusum, emarginatum. *Fructum* nondum vidimus.

a. Flos bracteis suffultus.
b, B. Idem seorsìm, magnitudine naturali et auctâ.
C. Pistillum.

TABULA 247.

ILLECEBRUM CAPITATUM.

Illecebrum floribus capitatis terminalibus, bracteis nitidis subternis, foliolis calycinis muticis linearibus inæqualibus hirtis.

I. capitatum. *Linn. Sp. Pl.* 299. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1206. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 60.

Polygonum montanum niveum minimum. *Lob. Ic.* 420. *f.* 1. *Dalech. Hist.* 1124.

Paronychia narbonensis erecta. *Tourn. Inst.* 508.

In insulâ Rhodo. ♃.

Præcedenti affinis; differt verò caulibus brevioribus, erectioribus, foliis hirsutis, floribus magìs capitatis; at præcipuè bracteis sub singulo flore paucioribus, latioribus, calyceque longè diverso. Hujus enim foliola minimè fornicata vel retusa, ut in prioribus speciebus sese offerunt, sed lineari-oblonga, sæpiùs attenuata, plùs minùs inæqualia, omninò mutica, extùs hirta. *Stamina* duplò quàm in præcedente longiora, cum setis, filamentis conformibus, interstinctis. *Capsula* compressa, ex icone Bauerianâ videtur disperma!

a, A. Flos cum bracteis.
b, B. Calyx post florescentiam clausus.
c, C. Capsula.
d, D. Semen.
Omnia magnitudine naturali et auctâ.

NERIUM.

Linn. Gen. Pl. 116. *Juss.* 145. *Brown Asclep.* 60.

Corolla hypocrateriformis, limbi laciniis tortis; fauce coronata squamis quinque, multifidis. *Stamina* medio tubi inserta; antheris caudatis. *Folliculi* cylindracei. *Semina* apice comosa.

TABULA 248.

NERIUM OLEANDER.

Nerium foliis lineari-lanceolatis ternis: subtùs costatis, laciniis calycinis squarrosis, nectariis planis.

N. Oleander. *Linn. Sp. Pl.* 305. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1234. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 67. *Mill. Illustr. t.* 12.

N. floribus rubescentibus. *Bauh. Pin.* 464. *Tourn. Inst.* 605.

N. sive Rhododendrum. *Camer. Epit.* 843. *Bauh. Hist. v.* 2. 141. *Matth. Valgr. v.* 2. 447. *Duham. Arb. v.* 2. 48. *t.* 12. *Ger. Em.* 1406.

Rhododendrum. *Dod. Pempt.* 851.

Νηριον ἢ Ῥοδοδενδρον *Diosc. lib.* 4. *cap.* 82.

Πικροδάφνη ἢ Ῥοδοδάφνη *hodiè.*

In humidis umbrosis Græciæ frequens. In alveis arenosis torrentium præcipuè delectatur. *D. Hawkins.* ♄.

Caulis arborescens, biorgyalis, vel altior, erectus, ramosus, *ramulis* oppositis, teretiusculis, glabris, foliosis. *Folia* terna, subindè tantùm opposita, petiolata, erecto-patentia, lineari-lanceolata, acuta, integerrima, subrevoluta, 3—6-uncialia, coriacea, sempervirentia, uninervia, utrinque glaberrima; subtùs transversè parallelo-venosa, pallidiora. *Petioli* breves, dilatati, basi approximati, subconnati. *Paniculæ* terminales, trichotomæ, multifloræ, magnæ, formosæ. *Pedunculi* glabri, subfusci. *Flores* diametro biunciales, rosei, speciosi, inodori. *Calyx* semuncialis, quinquepartitus, rufo-fuscus, glaber, laciniis subulatis, æqualibus, supernè patentibus. *Corollæ* tubus calyce ferè longior, cylindraceus, flavescens; faux dilatata, campanulata, longitudine tubi; limbus quinquepartitus, patentissimus, laciniis obovato-securiformibus, inæquilateris, tortis, obtusis; coronâ faucis e laciniis quinque, oblongis, planis, vittatis, apice inæqualitèr quinquedentatis, limbo multotiès brevioribus. *Stamina* 5, filiformia, pi-

Nerium Oleander.

losa, tubo basin versùs inserta, longitudine ferè æqualia; antheris sagittatis, verticalibus conniventibus, aristato-caudatis, caudâ pilosâ. *Germen* superum, parvum. *Stylus* filiformis, erectus, fauce brevior. *Stigma* obtusum, subcapitatum. *Folliculi* erecti, paralleli, sulcati, glabri, quadriunciales. *Semina* erecta, villosa, apice comosa.

a. Calyx cum stylo.
b. Corolla longitudinalitèr secta, et expansa, ut staminum insertio in conspectu veniat.

PENTANDRIA DIGYNIA.

PERIPLOCA.

Linn. Gen. Pl. 119. *Juss.* 146. *Brown Asclep.* 46.

Corolla rotata, limbi laciniis tortis; fauce coronata squamis quinque, aristatis. *Filamenta* complanata, distincta. *Antherarum* lobi disjuncti, cum proximis conniventes. *Folliculi* cylindracei, divaricati.

TABULA 249.

PERIPLOCA GRÆCA.

Periploca floribus internè hirsutis, foliis ovatis.

P. græca. *Linn. Sp. Pl.* 309. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1248. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 74. *Jacq. Misc. Austr. v.* 1. 11. *t.* 1. *f.* 2.

P. foliis oblongis. *Tourn. Inst.* 93. *Duham. Arb. v.* 2. 104. *t.* 21. *Hort. Angl. t.* 15.

P. altera. *Dod. Pempt.* 408.

P. repens angustifolia. *Ger. Em.* 902.

Apocynum folio oblongo. *Bauh. Pin.* 303.

A. repens. *Matth. Valgr. v.* 2. 446. *Camer. Epit.* 842.

A. secundum angustifolium. *Clus. Hist. v.* 1. 125.

Γαλαξίδα *hodiè.*

In sepibus Bithyniæ circa Bursam, et in monte Athô. ♄.

Caules fruticosi, laxi, longissimi, ramosissimi, volubiles, sese mutuò amplexi, ramis oppositis, teretibus, glabris, foliosis, gracilibus. *Folia* opposita, petiolata, ovata, acuta, integerrima, venosa, glaberrima, decidua, latitudine varia, quandoque retusa. *Petioli* breves, canaliculati, subpilosi. *Paniculæ* laterales et terminales, dichotomæ, divaricatæ, multifloræ. *Flores* inodori, tristes, nec inelegantes. *Calyx* quinquefidus, patens, pilosus. *Corolla* calyce longè major; laciniis obtusis, recurvis; subtùs pallidè virentibus, concavis, lævibus; suprà convexis, atropurpureis, pilosis, margine viridi-flavescentibus; setis interstinctis atropurpureis, contortis, limbo brevioribus. *Stamina* brevia, medio dilatata, gibba, apice pilosa, conniventia. *Antheræ* flave-

Periploca graeca?

A

Cynanchum acutum?

scentes, lobis ovatis, longè disjunctis, utrinque cum lobo proximarum conniventibus, et antheram bilobam simulantibus. *Germen* ovatum. *Styli* duo, erecti, supernè patuli. *Stigmata* simplicia. *Folliculi* arcuato-divaricati, apice approximati.

A. Calyx magnitudine triplò vel quadruplò auctus, cum staminibus pistilloque in situ naturali.
B. Idem cum pistillo, avulsis staminibus.
C. Lobus corollæ, cum setis duabus.

CYNANCHUM.

Linn. Gen. Pl. 119. *Juss.* 147. *Gærtn. t.* 117. *Brown Asclep.* 32.

Corolla rotata. *Nectarium* monophyllum, lobatum, cum setis interstinctis. *Antheræ* membranâ auctæ. *Folliculi* læves.

TABULA 250.

CYNANCHUM ACUTUM.

Cynanchum caule volubili herbaceo, foliis cordato-oblongis glabris, corollæ laciniis obtusis.

C. acutum. *Linn. Sp. Pl.* 310. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1254. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 77, excluso synonymo.

Periploca monspeliaca, foliis acutioribus. *Tourn. Inst.* 93.

P. prior. *Dod. Pempt.* 408.

Scammoniæ monspeliacæ affinis, foliis acutioribus. *Bauh. Pin.* 294.

Scammonium monspeliense. *Ger. Em.* 867.

Scammonii monspeliaci varietas. *Lob. Ic.* 621.

Apocynum tertium latifolium. *Clus. Hist. v.* 1. 125.

Σαρμάσικι *hodiè.*

Ubique in Archipelagi insulis. ♃.

Radix repens, ramosa, filiformis, perennis. *Caules* herbacei, volubiles, ramosi, teretes, læves. *Folia* opposita, petiolata, reclinato-pendula, cordato-elongata, acuta, integerrima, venosa, glabra, glaucescentia; lobis rotundatis, distantibus; nervis interdùm pubescentibus. *Petioli* horizontales, canaliculati, subpubescentes, foliis duplò vel triplò breviores. *Umbellæ* interpetiolares, vel subaxillares, pedunculatæ, solitariæ, folio breviores, multifloræ, pedunculis pedicellisque pubescentibus. *Flores*

nivei. *Calyx* quinquepartitus, acutus, pubescens. *Corolla* quinquepartita, patens; laciniis ovato-oblongis, obtusis, patentibus, æqualibus. *Nectarium* cyathiforme, corollâ longè minus, obtusè quinquelobum, cum setis intermediis quinque, patentibus, aduncis. *Stamina* et *pistillum* in floribus exsiccatis haud benè eruenda.

A. Flos quadruplò auctus, cum organis omnibus in situ naturali.

TABULA 251.

CYNANCHUM MONSPELIACUM.

Cynanchum caule volubili herbaceo, foliis cordato-rotundatis acuminatis pubescentibus, corollæ laciniis acutis.

C. monspeliacum. *Linn. Sp. Pl.* 311. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1257. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 77. *Jacq. Ic. Rar. t.* 340. *Coll. v.* 4. 106.

Periploca monspeliaca, foliis rotundioribus. *Tourn. Inst.* 93.

Scammonia monspeliaca, foliis rotundioribus. *Bauh. Pin.* 294.

S. valentina. *Ger. Em.* 866.

Scammonium monspelliense. *Lob. Ic.* 620.

Apocynum quartum latifolium. *Clus. Hist. v.* 1. 126.

Frequens ad vias in insulis Græcis. ♃.

Radix repens, perennis. *Caules* herbacei, volubiles, subsimplices, teretes, glabriusculi. *Folia* quam in *C. acuto* majora, tenuissimè pubescentia, minùsque glauca, lobis dilatatis, approximatis. *Cymæ* longiùs pedunculatæ, geminæ. *Calyx* pilosus, laciniis lineari-lanceolatis, acutis. *Corolla* alba, laciniis elliptico-lanceolatis, acutiusculis. *Nectarium* turbinatum, roseum, lobis profundioribus, setis interstinctis minoribus.

A. Flos auctus.

B. Calyx cum nectario, atque impregnationis organis.

Cynanchum monspeliacum.

Herniaria macrocarpa.

HERNIARIA.

Linn. Gen. Pl. 121. *Juss.* 89.

Calyx quinquepartitus, inferus. *Corolla* nulla. *Stamina* squamis quinque filiformibus interjectis. *Capsula* monosperma, calyce tecta.

TABULA 252.

HERNIARIA MACROCARPA.

Herniaria foliis obovato-lanceolatis utrinque calycibusque hirsutis, caulibus retrorsùm pubescentibus.

Ad viam inter Smyrnam et Bursam, et in Laconiâ. ♃.

Radix simplex, cylindracea, longissimè descendens, perennis. *Caules* numerosi, undique diffusi, palmares, ramosi, teretes, foliosi, pubescentes, pilis brevibus, recurvis. *Folia* opposita, breviùs petiolata, patentia, haud semiuncialia, angustè obovata, acuta, integerrima, glauco-viridia, undique hispida, pilis rigidis, porrectis, ad marginem crebrioribus; exsiccatione corrugata, vel punctulata. *Petioli* breves, plani, pilosi. *Stipulæ* geminæ, scariosæ, deltoideæ, acuminatæ, ciliatæ, foliis triplò breviores. *Flores* in axillis foliorum superiorum, foliolis interstinctis, aggregati, subsessiles, virides, parvi. *Calycis* laciniæ ovatæ, acutæ, concavæ, æquales; extùs hirtæ; intùs flavescentes, glabræ. *Stamina* calyce breviora, ejusdem segmentis opposita, filiformia, glabra, cum filamentis quinque interstinctis, minoribus, sterilibus. *Antheræ* didymæ, flavescentes. *Germen* globosum, parvum. *Styli* breves, filiformes, divaricati, stigmatibus simplicibus. *Capsula* calyce persistente, pallescente, connivente, tecta, ovata, acuta, membranacea, unilocularis, demùm lacera. *Semen* solitarium, subrotundum, nigricans.

a, *a*, A. Flores, magnitudine naturali et auctâ.
b, B. Calyx cum fructu.
c, C. Semen.
D. Capsula.

CHENOPODIUM.

Linn. Gen. Pl. 121. *Juss.* 85. *Gærtn. t.* 75.

Calyx quinquepartitus, inferus. *Corolla* nulla. *Semen* unicum, lenticulare, calyce clauso, pentagono, tectum.

TABULA 253.

CHENOPODIUM BOTRYS.

Chenopodium foliis oblongis pinnatifidis angulosis viscidis, racemis dichotomis cymosis aphyllis.

Ch. Botrys. *Linn. Sp. Pl.* 320. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1304. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 99.

Ch. ambrosioides, folio sinuato. *Tourn. Inst.* 506.

Ch. n. 1585. *Hall. Hist. v.* 2. 268.

Botrys. *Matth. Valgr. v.* 2. 206. *Camer. Epit.* 598. *Fuchs. Hist.* 179. *Dod. Pempt.* 34. *Ger. Em.* 1108. *Dalech. Hist.* 952.

Βοτρυς *Diosc. lib.* 3. *cap.* 130.

Ad rivulorum ripas inter Smyrnam et Bursam. ⊙.

Radix simplex, fibrosa, annua. *Herba* undique piloso-viscida, odore aromatico, ferè cedrino, gratissimo. *Caulis* erectus, pedalis, vel altior, ramosissimus, foliosus, anguloso-teres, striatus; ramis alternis, adscendentibus. *Folia* alterna, petiolata, patentia, mollia, plùs minùs uncialia, semipinnatifida, obtusiuscula, lobis inæqualibus, angulosis, erosis. *Petioli* folio duplò breviores. *Stipulæ* nullæ. *Flores* copiosi, parvi, virides, in racemis cymosis, repetito-dichotomis, tenuibus, multifloris, valdè glutinosis, axillaribus, geminis, folio brevioribus. *Calyx* extùs pilosissimus, viscidus, laciniis obovatis, concavis, uniformibus. *Stamina* filiformia, calyce duplò longiora, sæpè pauciora quàm in reliquis speciebus, interdùm solitaria, vel, ut apud Hallerum notatur, bina. *Antheræ* magnæ, bilobæ, albidæ. *Germen* ovale, glabrum. *Styli* duo, divaricati, calyce breviores. *Semen* exiguum, nigrum, nitidum, læve.

Odoris gratiâ in hortis quandoque colitur, et inter vestes a rusticis reponitur, veterum Græcorum more.

a. Racemi portio.
b, B. Flos, stamine unico.
C. Pistillum auctum.
d, D. Semen.

Chenopodium Botrys.

a

A

Beta maritima.

BETA.

Linn. Gen. Pl. 122. *Juss.* 85. *Gærtn. t.* 75.

Calyx quinquepartitus; basi carnosus. *Corolla* nulla. *Semen* unicum, reniforme, intra substantiam baseos calycis.

TABULA 254.

BETA MARITIMA.

Beta caulibus decumbentibus, floribus geminis, laciniis calycinis integerrimis.

B. maritima. *Linn. Sp. Pl.* 322. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1309. *Sm. Fl. Brit.* 279. *Engl. Bot. t.* 285.

B. sylvestris maritima. *Bauh. Pin.* 118. *Tourn. Inst.* 502. *Raii Syn.* 157.

B. sylvestris spontanea marina. *Lob. Obs.* 125.

In Ponti Euxini, et insulæ Zacynthi, littoribus cœnosis. ♃.

Radix perennis, fusiformis, fusca. *Caules* plures, herbacei, decumbentes, sesquipedales, alternatìm ramosi, foliosi, angulato-terctes, sulcati, glabri. *Folia* alterna, petiolata, patentissima, ovata, subdeltoidea, acuta, repanda, lævia, subcarnosa; basi angustata, in petiolum decurrentia: radicalia maxima: caulina breviùs petiolata, sursùm secunda. *Petioli* canaliculati, marginati. *Stipulæ* nullæ. *Flores* in racemis terminalibus, simplicibus, foliolosis, sessiles, sæpiùs gemini, virides. *Calycis* laciniæ uniformes, carnosæ, cucullatæ, muticæ; subtùs gibboso-carinatæ. *Stamina* quinque, simplicia, calyce breviora, ejusdem laciniis opposita. *Antheræ* subcordatæ. *Germen* depressum, calyci immersum. *Stigmata* ferè sessilia, brevia, obtusa, sæpiùs terna. *Semen* calyce incrassato, laciniis conniventibus, tectum.

a, A. Flores gemini, magnitudine naturali et auctâ.

SALSOLA.

Linn. Gen. Pl. 122. *Juss.* 85. *Gærtn. t.* 75.

Calyx quinquepartitus, basi capsularis. *Corolla* nulla. *Semen* unicum, cochleatum.

TABULA 255.

SALSOLA FRUTICOSA.

Salsola erecta fruticosa, foliis semicylindraceis obtusiusculis muticis.

S. fruticosa. *Linn. Sp. Pl.* 324. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1316. *Sm. Fl. Brit.* 280. *Engl. Bot. t.* 635.

Chenopodium fruticosum. *Linn. Sp. Pl. ed.* 1. 221.

Ch. sedi folio minimo, frutescens perenne. *Boerh. Ind. Alt. v.* 2. 91. *Du Hamel Arb. v.* 1. 163. *t.* 62; exclusis Bauhinorum synonymis, quæ Reaumuriæ sunt.

Cali species, sive Vermicularis marina arborescens. *Bauh. Hist. v.* 3. 704.

Anthyllis chamæpityides frutescens. *Bauh. Pin.* 282.

Chamæpitys vermiculata. *Lob. Ic.* 381. *Advers.* 163.

Ch. prima Dioscoridis. *Dalech. Hist.* 1160.

Blitum fruticosum maritimum, Vermicularis frutex dictum. *Raii Syn.* 156; excluso Gerardi, ut et Bauhini, synonymo.

In maritimis prope Athenas. ♄.

Frutex tripedalis, erectus, ramosissimus, glaucescens, sempervirens, caule ramulisque teretibus, subdivisis, foliosis. *Folia* sparsa, sessilia, adscendentia, haud semuncialia, integerrima, obtusa, mutica, lævia, semiteretia; suprà concaviuscula. *Flores* axillares, sessiles, solitarii, luteo-virentes, parvi. *Calycis* laciniæ obovatæ, *staminibus* paululùm breviores. *Germen* subrotundum, demùm sulcatum. *Styli* duo, persistentes, *stigmatibus* obtusis. *Fructum* in plantâ Græcâ non vidimus.

Χαμαιπιτυς Dioscoridis, lib. 3. cap. 175, hûc sanè non spectat. Confer *Ajugam Ivam*, t. 525.

a, A. Flos magnitudine naturali et auctâ.
b, B. Germen, post anthesin, ut videtur, auctum atque sulcatum.

Salsola fruticosa ?

Cressa cretica?

CRESSA.

Linn. Gen. Pl. 122. *Am. Acad. v.* 1. 395. *Juss.* 134. *Brown Prodr.* 489.
Anthyllis. *Magnol. Charact. Nov.* 212.

Calyx pentaphyllus. *Corolla* hypocrateriformis. *Filamenta* tubo insidentia. *Capsula* bivalvis, unilocularis. *Semina* pauca, subovata.

TABULA 256.

CRESSA CRETICA.

Cressa foliis ovatis sessilibus: basi obtusis, calycibus sericeo-pilosis.
C. cretica. *Linn. Sp. Pl.* 325. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1320. *Retz. Obs. fasc.* 4. 24.
C. indica. *Retz. Obs. fasc.* 4. 24. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1320.
Anthyllis. *Alpin. Exot.* 157. *t.* 156. *Raii Hist. v.* 1. 215.
Quamoclit minima humifusa palustris, herniariæ folio. *Tourn. Cor.* 4.
Chamæpitys incana, exiguo folio. *Bauh. Pin.* 249.
Ch. prima. *Fuchs. Hist.* 885.
Ch. prima Dioscoridis odoratior. *Lob. Advers.* 164.
Ch. tertia. *Dod. Pempt.* 46. *Ger. Em.* 525. *Dalech. Hist.* 1160.
Ajuga, sive Chamæpitys altera. *Matth. Valgr. v.* 2. 292.
Lysimachiæ spicatæ purpureæ affinis thymifolia. *Pluk. Phyt. t.* 43. *f.* 6.

In littoribus salsis Archipelagi frequens. ⊙?

Radix, ut videtur, annua, parùm ramosa. *Herba* spithamæa, subdiffusa, tristè virens, glaucescens, pilosa, e basi ad apicem alternatìm ramosa, foliosa. *Folia* numerosa, alterna, sessilia, parva, ovata, integerrima, punctata, utrinque sericeo-pilosa. *Stipulæ* nullæ. *Flores* ramorum apicem versus axillares, sessiles, conferti, subspicati, foliis duplò longiores. *Calycis* foliola obovata, imbricata, æqualia, hirta, persistentia. *Corollæ* tubus longitudine calycis, infundibuliformis, glaber, albus; limbus quinquepartitus, regularis, laciniis patenti-deflexis, oblongis, obtusis, æqualibus, extùs plùs minùs pilosis, intùs apicem versus rufescentibus. *Stamina* exserta, filiformia, glabra, antheris incumbentibus, rufis. *Germen* superum, subrotundum. *Styli* longitudine staminum, filiformes, albi, basi setosi, stigmatibus capitatis. *Capsula* subrotunda, glabra, bivalvis, basi dehiscens, valvulis rigidulis, inæqualitèr fissis. *Semina* in nostris solitaria, elliptico-subrotunda, fusca, glabra, at plerumque, ut rectè suspicatus est Jussieus, uno vel altero abortivo comitata. Hinc *Cressa indica* Retzii

et Willdenovii varietas tetrasperma tantùm nobis visa est, corollam enim nunquam imberbem vidimus.

Ad *Convolvulos* Jussieui proculdubiò pertinet.

a. Flos magnitudine naturali.
B. Calyx auctus, seorsìm.
C. Corolla, cum staminibus stylisque.
D. Germen cum stylis.

CUSCUTA.

Linn. Gen. Pl. 66. *Sm. Fl. Brit.* 282. *Juss.* 135. *Gærtn. t.* 62.

Calyx quadri- vel quinque-fidus, inferus. *Corolla* monopetala, quadri- vel quinque-fida. *Capsula* bilocularis, basi circumscissa. *Semina* bina.

TABULA 257.

CUSCUTA MONOGYNA.

Cuscuta floribus monogynis, stigmate obtuso, corollâ fauce nudâ.
C. monogyna. *Vahl. Symb. v.* 2. 32. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 703.
C. orientalis, viticulis crassissimis, convolvuli fructu. *Tourn. Cor.* 45; ex herbario auctoris.
C. major, caulibus lupuli. *Buxb. Cent.* 1. 15. *t.* 23.

Parasitica in *Tamarice gallicâ*, ad ripas fluvii inter Smyrnam et Bursam. ♃.

Caules volubiles, in altum longissimè extensi, ramosi, variè contorti et implexi, filiformes, subangulati, hinc inde exasperati, pallidè rubicundi, omninò aphylli atque nudi. *Racemi* laterales et terminales, subsimplices, laxiusculi, flexuosi. *Flores* alterni, glabri, brevissimè pedicellati, cum *bracteolâ* solitariâ, concavâ, ad singulorum exortum. *Calyx* obovatus, obtusus, dilutè virens, haud semiquinquefidus, persistens; supernè rubicundus. *Corollæ* tubus calyce vix longior, virens, demùm, increscente fructu, auctus et rubicundus, persistens; limbus incarnatus, semiquinquefidus, marcescens, laciniis æqualibus, obtusis, patentibus, fauce nudâ, staminiferâ. *Stamina* brevissima. *Antheræ* cordatæ, fuscæ, paululùm exsertæ. *Germen* ellipticum, rutilans. *Stylus* brevis, stigmate obtuso. *Capsula* membranacea, corollâ emarcidâ vestita. *Semina* magna, fusca.

a. A. Flos formâ naturali et auctâ.
B. Corolla arte expansa, cum staminibus in fauce.
C. Pistillum.

Cuscuta monogyna.

Eryngium cyaneum ?

ERYNGIUM.

Linn. Gen. Pl. 127. *Sm. Fl. Brit.* 288. *Juss.* 226. *Gærtn. t.* 20.

Involucrum polyphyllum. *Flores* capitati. *Receptaculum commune* conicum, paleaceum. *Semina* muricata.

TABULA 258.

ERYNGIUM CYANEUM.

Eryngium foliis radicalibus quinquepartitis pinnatifidis, caule ramosissimo divaricato, involucris subpentaphyllis.

E. creticum erectum, folio multifido, caule et ramis amethystinis. *Tourn. Cor.* 23. *Herb. Sherard.*

Σφαλάγγαθος *Zacynth.*

In provinciis et insulis Græcis haud infrequens. ♃.

Herba rigida, glabra, sesquipedalis, rore cyaneo undique ferè conspersa. *Caulis* erectus, teretiusculus, parùm angulatus, ramulosus, foliosus; apice corymboso-paniculatus, divaricatus. *Folia* quinquepartita; lobis lineari-oblongis, pinnatifidis, vel dentatis, mucronato-spinosis, marginatis, nervosis; radicalia petiolata; caulina sessilia, alterna; basi amplexicaulia, dilatata, crebriùsque spinosa. *Petioli* foliis paululùm longiores; basi dilatati, et spinis, foliorum caulinorum more, fimbriati. *Florum capitula* copiosa, in apicibus ramulorum, solitaria, ferè globosa, multiflora, cum herbâ, præter antheras albidas, concolora. *Involucri foliola* inæqualia, spinulosa, capitulo duplò longiora. *Receptaculi paleæ* trifidæ, spinosæ, longitudine ferè florum. *Perianthium* superum, quinquepartitum; laciniis emarginatis, mucronato-spinosis, glauco-virescentibus. *Petala* calyce longiora, lineari-lanceolata, infracto-duplicata, cærulea. *Stamina* longissimè exserta, cærulea, antheris elliptico-rotundatis, incumbentibus, albidis. *Germen* obovatum, viride, angulis quinque spinuloso-serratis. *Styli* staminum formâ et colore, at paulò breviores.

Colorem pulchrum cyaneum diù, etiam exsiccata, servat, more *Eryngii triquetri*, Vahl. Symb. v. 2. 46. Willden. Sp. Pl. v. 1. 1359, speciei plurimis notis huic affinis.

a. Flos cum receptaculi paleâ.
B. Eadem palea quintuplò aucta.
C. Flos auctus.
D. Petalum.

TABULA 259.

ERYNGIUM MULTIFIDUM.

Eryngium foliis bipinnatifidis sublyratis apice radiatis, caule corymboso, involucris pinnatifidis.

E. alpinum elatius, caule folioso, molliculum. *Cupan. Phyt. v.* 1. *t.* 29.

In Peloponneso. ♃.

Herba glaberrima, præcedente paulò altior. *Caulis* rectus, teretiusculus, pulcherrimè cæruleus, foliosus, vix, nisi apice corymboso, ramosus. *Folia* pallidè e glauco virentia, alterna, amplexicaulia, semipedalia, bipinnatifida; laciniis lineari-oblongis, nervosis, spinoso-mucronatis atque dentatis; superioribus duplicatò ferè radiatis, longioribus. *Capitula* cyanea, concolora. *Involucri foliola* sex vel septem, trifida vel pinnatifida, capitulo longiora. *Perianthii* laciniæ ovatæ, integerrimæ, mucronato-spinosæ. *Petala*, stamina, et styli, ferè præcedentis, sed *antheræ* cæruleæ. *Germen* undique setoso-muricatum.

Tournefortii synonymon, in Prodromo Fl. Græc. citatum, ad præcedentem, herbario Sherardiano nupèr edoctus, retuli.

E. *parviflori* synonymon eodem herbario confirmatur.

a, A. Flos magnitudine naturali et auctâ. B. Petalum seorsìm.

BUPLEURUM.

Linn. Gen. Pl. 129. *Juss.* 224. *Gærtn. t.* 22.

Involucella umbellulis majora, pentaphylla. *Petala* involuta. *Calyx* obsoletus. *Fructus* subrotundus, compressus, striatus.

TABULA 260.

BUPLEURUM NODIFLORUM.

Bupleurum involucellis pentaphyllis ovatis acuminatis trinervibus, umbellis lateralibus sessilibus, caule dichotomo.

Eryngium multifidum.

Bupleurum nodiflorum.

Bupleurum semicompositum?

In arvis insulæ Cypri, cum *B. odontite*. ⊙.

Radix annua, gracilis, parùm ramosa. *Herba* glabra. *Caulis* teretiusculus, hinc interdum complanatus, undique ramosus, divaricato-patens, subdichotomus, foliosus, multiflorus, pedalis aut sesquipedalis. *Folia* alterna, sub dichotomiis conferta, sessilia, linearia, acuta, integerrima, trinervia, margine minutè scabriuscula. *Umbellæ* primordiales e dichotomiâ caulis; reliquæ laterales vel terminales, minores; omnes ferè sessiles, quinque- vel septem-radiatæ. *Involucrum universale* foliis conforme, sæpiùs tetraphyllum, inæquale, umbellâ duplò vel triplò longius: *partiale* pentaphyllum, longè minus et pallidius, foliolis subæqualibus, ovatis, mucronatis, pellucido-scariosis, trinervibus. *Flores* parvi, pedicellati, uniformes, regulares, lutei. *Petala* æqualia, ovata, acuminata, arctè involuta. *Stamina* patula. *Styli* brevissimi, demùm divaricato-recurvi, persistentes. *Fructus* exiguus, elliptico-oblongus, compressus, seminibus quinque-costatis, fuscis, glabris.

a. Involucellum. *b*, B. Flos, magnitudine naturali, et insignitèr auctâ. *c*, C. Fructus.

Bupleurum glumaceum, Prodr. Fl. Græc. n. 618. Spreng. Sp. Umbellif. 18. t. 3. f. 5, ad *B. odontiten*, n. 616, reduxit egregius ille auctor, nec, me judice, immeritò. Huic rei ansam dederunt semina ex herbario Sibthorpiano, quæ cum viro amicissimo Sprengler communicavi. Hæc, quamvis ultra 20 annos inter chartas reposita, lætè germinaverunt, et flores fructumque tulerunt.

TABULA 261.

BUPLEURUM SEMICOMPOSITUM.

Bupleurum umbellis compositis simulque simplicibus, germine papilloso-scabro.

B. semicompositum. *Linn. Sp. Pl.* 342. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1373. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 121. *Gouan. Illustr.* 9. *t.* 7. *f.* 1.

B. angustissimo folio, humilius et ramosius. *Sherard. Mss.*

Odontites semicomposita. *Spreng. Prodr.* 33.

Gallium saxatile, folio peramplo glauco. *Tourn. Cor.* 4. *Herb. Sherard.*

In insulâ Cypro. ⊙.

Herba glabra, vix spithamæa, radice fibrosâ, annuâ. *Caulis* alternatìm ramosus, teretiusculus, foliosus, divaricato-patulus, subcorymbosus. *Folia* alterna, sessilia, amplexicaulia, oblongo-lanceolata, integerrima, carinata, coriacea, tristè virentia, re-

curva; floralia longè minora. *Umbellæ* laterales et terminales, sæpiùs proliferæ, quandoque reverà compositæ. *Involucrum* e foliolis quatuor vel quinque, inæqualibus, lineari-lanceolatis, acutis, trinervibus, scabriusculis, persistentibus. *Involucella* involucro simillima, sed paulò minora, pentaphylla. *Umbellæ* sæpiùs quadrifidæ, vel trifidæ, radiis maximè inæqualibus, gracilibus, angulatis, rigidis, glabris. *Umbellulæ* subinde solitariæ, sparsæ, laterales vel terminales, tri- vel quinque-floræ, involucellis duplò breviores. *Flores* exigui, uniformes, pedicellati. *Perianthium* obsoletum. *Petala* quinque, ovata, indivisa, involuta, æqualia, fusco-lutea, carinâ rufescente. *Stamina* petalis duplò longiora, patentia; antheris flavis. *Germen* magnum, didymum, undique papilloso-scabrum, subglaucum. *Styli* sub florescentiam obsoleti, receptaculo immersi, stigmatibus vix conspicuis; post anthesin exserti, divaricati, minuti, persistentes, stigmatibus obtusis, pallidis. *Fructus* parvus, elliptico-subrotundus, fusco-pruinosus, scaber.

a, A. Flos, magnitudine naturali et decuplò auctâ.

TABULA 262.

BUPLEURUM GERARDI.

Bupleurum umbellis capillaribus, involucellis subulatis, caule paniculato erecto, foliis lineari-lanceolatis.

B. Gerardi. *Murr. in Linn. Syst. Veg. ed.* 14. 274. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1375. *Jacq. Austr. v.* 3. 31. *t.* 256. *Allion. Pedem. v.* 2. 24. *Spreng. Prodr.* 39.

B. involucris et involucellis pentaphyllis: foliolis lineari-subulatis. *Gerard. Gallo-Prov.* 233. *t.* 9.

Ad viam inter Smyrnam et Bursam frequens. ⊙.

Radix annua, gracilis, tortuosa, pallida. *Herba* lævis atque glaberrima, gracilis, circiter pedalis, undique paniculato-ramosa, ramis alternis, teretibus. *Folia* alterna, lineari-lanceolata, plùs minùs acuminata, integerrima, glaucescentia, trinervia; basi elongata, amplexicaulia: inferiora majora, sæpiùs conferta. *Umbellæ* copiosæ, terminales, patentes, trifidæ, quadrifidæ, vel quinquefidæ, radiis elongatis, capillaribus, rigidulis. *Involucri foliola* tria ad quinque, lineari-lanceolata, acuminata, inæqualia, sæpè decidua. *Involucella* pentaphylla, subulata, flore longiora, fructu duplò breviora, persistentia. *Flores* sæpiùs quini, subsessiles, uniformes, flavi. *Perianthium* nullum. *Petala* æqualia, latè ovata, acuminata, inflexa. *Stamina* petalis breviora. *Styli* brevissimi, post florescentiam paululùm elongati, divergentes, persistentes. *Fructus* elliptico-oblongus, glaber, seminibus demùm distinctis, pentagonis, quinque-costatis, fuscis, vix aromaticis vel acribus.

Bupleurum Gerardi.

Bupleurum fruticosum?

Umbellæ radii a duobus ad sex vel septem numero variant.

a, A. Flos, magnitudine naturali et auctâ.
b, B. Umbellulæ pedicelli, cum Seminum Receptaculis persistentibus, atque Involucellis.
c, C. Fructus maturus.
D. Seminis sectio transversa, multùm aucta.

TABULA 263.

BUPLEURUM FRUTICOSUM.

Bupleurum frutescens, foliis obovatis integerrimis sessilibus.

B. fruticosum. *Linn. Sp. Pl.* 343. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1377. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 122.

B. arborescens, salicis folio. *Tourn. Inst.* 310. *Duham. Arb.* 109. *t.* 43.

Tenoria fruticosa. *Spreng. Prodr.* 32.

Seseli æthiopicum, salicis folio. *Bauh. Pin.* 161.

S. æthiopicum. *Camer. Epit.* 512.

S. æthiopicum alterum. *Matth. Valgr. v.* 2. 111.

S. æthiopicum frutex. *Dod. Pempt.* 312. *Ger. Em.* 1421.

S. æthiopicum verum. *Dalech. Hist.* 750.

S. æthiopicum fruticosum, foliis periclymeni. *Bauh. Hist. v.* 3. *p.* 2. 197.

Σεσελι αιθιοπικον *Diosc. lib.* 3. *cap.* 61.

In Thessaliæ maritimis. ♄.

Caulis lignosus, erectus, ramosus, bipedalis vel altior; ramis alternis, teretibus, rigidis, foliosis, lævibus, rore glauco purpurascentibus. *Folia* decidua, alterna, sessilia, biuncialia, obovata, obtusa cum mucronulo, integerrima, coriacea, glaberrima, uninervia, saturatè viridia; margine flavescentia; subtùs glauca, venulosa; superiora diminuta, magìsque remota. *Stipulæ* nullæ. *Umbellæ* terminales, solitariæ, pedunculatæ, majusculæ, multiradiatæ, tristè lutescentes; *umbellulis* multifloris, convexis. *Involucrum* sæpiùs incompletum, foliolis paucis, obovatis, flavescentibus; vel omninò nullum. *Involucella* plerumque pentaphylla, foliolis obovatis, pallidè lutescentibus, venulosis, deciduis. *Flores* uniformes, saturatè lutescentes. *Perianthium* parvum, quinquedentatum. *Petala* involuta, æqualia. *Stamina* concolora, petalis longiora. *Styli*, nisi peractâ florescentiâ, vix conspicui. *Germen* oblongum, sulcatum, utrinque tricostatum. *Fructum* non vidimus.

a, A. Flos, magnitudine naturali et auctâ.

TABULA 264.

BUPLEURUM SIBTHORPIANUM.

Bupleurum suffrutescens, foliis linearibus margine lævissimis, involucris involucellisque lanceolatis.

In Peloponneso. ♄.

Caulis basi lignosus, tortuosus, subdivisus, denudatus, teres; ramis pedalibus, erectis, teretibus, alternatìm paniculato-ramosis, basi densiùs foliosis, caulium, in speciebus omninò herbaceis, more. *Folia* alterna, patula, linearia, acuminata, elongata, graminea, glaucescentia, glaberrima uti tota planta; subtùs striata, subtrinervia. *Umbellæ* sæpiùs quinqueradiatæ. *Umbellulæ* vix decemfloræ. *Involucri foliola* subterna, valdè inæqualia, lanceolata, nervosa, plerumque acuminata. *Involucella* pentaphylla, foliolis ovato-lanceolatis, obtusiusculis, acuminatis, carinatis, æqualibus. *Flores* parvi, luteoli, uniformes. *Perianthium* obsoletum. *Petala* æqualia, lata, acumine involuto. *Stamina* patentia, corollâ longiora. *Styli* duo, divaricato-patentes, persistentes. *Fructus* elliptico-oblongus, sulcatus, seminibus pentagonis tricostatis.

Bupleuro frutescenti Linnæi quodammodò affine, at reverà distinctum. Media species inter annuas et suffruticosas esse videtur.

a, A. Flos magnitudine naturali, et insignitèr auctus.
b, B. Fructus maturus, Stylis persistentibus mucronulatus.

ECHINOPHORA.

Linn. Gen. Pl. 129. *Juss.* 225. *Spreng. Prodr.* 33.

Involucellum turbinatum, monophyllum, sexfidum. *Flores marginales* masculi, pedicellati; *centralis* fœmineus. *Semina* involucello immersa.

TABULA 265.

ECHINOPHORA SPINOSA.

Echinophora foliolis subulato-spinosis trifidis integrisve integerrimis.

Bupleurum Sibthorpianum.

Echinophora spinosa?

Echinophora tenuifolia.

E. spinosa. *Linn. Sp. Pl.* 344. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1379. *Sm. Fl. Brit.* 293. *Compend. ed.* 3. 44. *Engl. Bot. t.* 2413. *Turr. Farset.* 7. *Cavan. Ic. v.* 2. 24. *t.* 127. *Jacq. Coll. v.* 2. 155.

E. maritima spinosa. *Tourn. Inst.* 656. *Raii Syn. ed.* 3. 220.

Crithmum maritimum spinosum. *Bauh. Pin.* 288.

C. spinosum. *Dod. Pempt.* 705. *Ger. Em.* 533. *Raii Syn. ed.* 2. 114.

C. secundum. *Matth. Valgr. v.* 1. 445. *ed. Bauhini* 381. *Camer. Epit.* 273.

Pastinaca marina. *Lobel. Ic.* 710. *Bauh. Hist. v.* 3. *p.* 2. 196. *Dalech. Hist.* 1396.

Ad viam inter Smyrnam et Bursam, et in Peloponneso. ♃.

Radix fusiformis, elongata, carnosa, in solo sabuloso altè descendens. *Herba* glauca, rigida, subcarnosa, sæpiùs densè, at brevissimè, pubescens. *Caulis* erectus, bipedalis, undique ramosissimus, subflexuosus, angulato-teres, sulcatus, foliosus, multiflorus. *Folia* alterna, amplexicaulia, rariùs subopposita, impari-pinnata, aut bipinnata, foliolis oppositis, divaricatis, latè subulatis, carinatis, canaliculatis, integerrimis, mucronato-spinosis. *Umbellæ* terminales, pedunculatæ, rigidæ et crassæ, multiradiatæ. *Involucrum* hexaphyllum, inæquale, foliolis caulinis conforme. *Umbellulæ* numerosæ, multifloræ, radiantes, albæ. *Involucella* sexpartita, laciniis ovatis, concavis, mucronatis, subæqualibus. *Flores marginales* plures, plerumque masculi, regulares, cum *Pistillo* abortivo; *extimi* inæquales, radiantes, neutri: *centralis* fœmineus, solitarius. *Perianthium* quinquepartitum, laciniis triangularibus, ciliatis, patentibus, parùm inæqualibus. *Petala* inflexo-cordata; in floribus masculinis, uniformia, angustata, acumine elongato, glabro; in neutris valdè inæqualia, dilatata, lobis rotundatis, concavis, acumine brevi, fimbriato; in fœmineo nulla. *Stamina*, in floribus masculinis tantùm, capillaria, patentia, alba, corollâ longiora, antheris didymis, pallidis. *Germen* turbinatum, sulcatum, perianthio coronatum. *Styli*, in flore fœmineo, duo, erecti, apice patentiusculi, rubicundi, stigmatibus simplicibus; in masculinis, abbreviati, nivei, steriles. *Seminum* rudimenta duo, quorum alterum inane evadit, alterum in involucelli fundo carnoso latet.

a, A. Flos neuter, radii, magnitudine naturali et auctâ.
B. Flos masculus, eâdem proportione auctus.
c, Involucrum, et *d*, Involucellum cum Flore fœmineo, magnitudine naturali.
E. Flos fœmineus triplò auctus.
F. Germen floris neutri, ni fallor, seorsìm.

TABULA 266.

ECHINOPHORA TENUIFOLIA.

Echinophora foliolis incisis inermibus.

E. tenuifolia. *Linn. Sp. Pl.* 344. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1379. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 124.

E. pastinacæ folio. *Tourn. Inst.* 656.

Pastinaca sylvestris angustifolia, fructu echinato. *Bauh. Pin.* 151.

P. echinophora apula. *Column. Ecphr. v.* 1. 98. *t.* 101.

Σεσελι μασσαλεωτικον *Diosc. lib.* 3. *cap.* 60. *Sibth.*

In Peloponneso copiosè; etiam ad viam inter Smyrnam et Bursam. ♃.

Radix tereti-fusiformis, elongata, nigro-fusca; intùs lutescens, in siccâ vix aromatica vel acris. *Herba* pedalis, præcedente tenuior, undique plùs minùs pubescens, ramosissima. *Caulis* teres, vix striatus, pallidus. *Folia* alterna, petiolata, bipinnata; foliolis ovato-cuneiformibus, inciso-pinnatifidis, ferè pectinatis, glaucis, subcarnosis. *Umbellæ* laterales et terminales, breviùs pedunculatæ, subquinqueradiatæ. *Umbellulæ* multifloræ, subradiantes, luteæ. *Involucra* ut et *Involucella* subpentaphylla, foliolis lanceolatis, integerrimis, mucronato-pungentibus, inæqualibus, patentibus. *Flos* centralis tantùm fertilis, reliqui masculi. *Perianthium* omnibus quinquepartitum, laciniis ovatis, acutis. *Petala* inflexo-cordata, hirta; in marginalibus magìs patentia, et subradiantia. *Stamina* omnibus corollâ longiora, antheris didymis, subrotundis. *Germen* turbinatum, sulcatum. *Styli*, in flore centrali, staminibus duplò breviores, stigmatibus simplicibus; in radiantibus omninò nulli. *Semen* unicum, ovatum, in centro umbellulæ, ex Columnæ auctoritate, ad maturitatem pervenit.

a. Involucrum.
b. Involucellum.
c, C. Flos radii, magnitudine naturali et auctâ.
D. Flos centralis auctus.

TORDYLIUM.

Linn. Gen. Pl. 130. *Juss.* 224. *Gærtn. t.* 21. *Spreng. Prodr.* 11.

Involucra et *Involucella* indivisa. *Flores marginales* radiantes. *Fructus* suborbiculatus, compresso-planus, margine turgidus, crenatus.

TABULA 267.

TORDYLIUM OFFICINALE.

Tordylium involucellis longitudine ferè florum, foliolis ovatis incisis crenatis, petalis radiantibus inæquilateris geminis.

C.

B.

b.

a.

d.

D.

Tordylium officinale.

Tordylium officinale. *Linn. Sp. Pl.* 345. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1381. *Sm. Fl. Brit.* 294. *Engl. Bot. t.* 2440. *Tr. of Linn. Soc. v.* 12. 347.
T. narbonense minus. *Tourn. Inst.* 320.
T. Dodonei. *Dalech. Hist.* 751.
Seseli creticum minus. *Bauh. Pin.* 161. *Ger. Em.* 1050.
S. creticum. *Dod. Pempt.* 314. *Lob. Ic.* 736.
Caucalis minor, pulchro semine, sive Bellonii. *Bauh. Hist. v.* 3. *p.* 2. 84.
Τορδυλιον *Diosc. lib.* 3. *cap.* 63.
Καυκαλίδα *hodiè.*

In regione et insulis Græcis; etiam in Asiâ minori. ⊙.

Radix fusiformis, gracilis, pallida, annua, infernè ramosa. *Caules* sæpiùs plures, erecti, pedales, parùm ramosi, foliosi, sulcato-angulati, villosi, pilis mollibus, albidis, patenti-deflexis. *Folia* alterna, longiùs petiolata, patentia, pinnata cum impari, haud rarò ternata; foliolis ovatis, obtusis, hirtis, variè lobatis, incisis, vel crenatis; superioribus quandoque angustatis. *Petioli* canaliculati, villosi; basi latiores, amplexicaules, sulcati. *Umbellæ* terminales, longiùs pedunculatæ, solitariæ, densæ, planiusculæ, multiradiatæ, albæ vel rubicundæ. *Pedunculi* spithamæi, erecti, sulcati, hirti. *Radii* hispidi, inæquales. *Umbellulæ* multifloræ, maximè radiantes. *Involucra* et *Involucella* e foliolis subulatis, inæqualibus, carinatis, mucronatis, undique setoso-hispidis, flores haud superantibus. *Flores disci* plerumque masculi, vix radiantes, petalis inflexo-cordatis, omninò ferè æqualibus; staminibus corollâ longioribus; stylis obsoletis, vel prorsùs nullis: *marginales* fœminei, quorum tres exteriores radio maximo conspicuo gaudent, e petalis duobus extimis, in singulo flore, valdè inæquilateris, quorum lobi duo maximi, approximati, petalum unicum, latè bilobum, simulant. *Stamina*, in floribus radii, nulla. *Germen* oblongiusculum, compressum, corrugatum, utrinque setosum. *Styli* duo, erecti; post florescentiam horizontalitèr divaricati. *Stigmata* obtusa. *Fructus* ovato-subrotundus, compressus; disco utrinque plano, hirto; margine tumido, duplicato, elegantèr crenato.

Tordylium apulum, Prodr. n. 631. Linn. Sp. Pl. 345. Jacq. Hort. Vindob. v. 1. 21. t. 53, cujus synonymon valdè dubium est *T. apulum minimum*, Column. Ecphr. v. 1. 122. t. 124. f. 1, ab hâc specie certo certiùs dignoscitur, petalis radiantibus in singulo flore solitariis, æqualitèr bilobis. Hûc spectat *T. humile*, Desfont. Atlant. v. 2. 235. t. 58.

a. Involucellum.
b, B. Flos masculus.
C. Flos fœmineus cum petalis duobus radiantibus, lente auctus.
d, D. Fructus.

ARTEDIA.

Linn. Gen. Pl. 131. *Juss.* 224. *Gærtn. t.* 85. *Spreng. Prodr.* 18.

Involucra et *Involucella* pinnatifida. *Flores marginales* radiantes. *Fructus* margine alatus; alis sinuato-lobatis.

TABULA 268.

ARTEDIA SQUAMATA.

Artedia squamata. *Linn. Sp. Pl.* 347. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1389. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 127.

Thapsia orientalis, anethi folio, semine elegantèr crenato. *Tourn. Cor.* 22.

T. foliis anethi, semine fimbriato. *Moris. sect.* 9. *t.* 18. *f.* 11.

Gingidium. *Camer. Hort.* 67. *t.* 16, *opt.*

G. folio fœniculi. *Bauh. Pin.* 151.

G. Dioscoridis. *Rauwolf. It.* 287. *ic.* 287. *Tourn. Voy. v.* 2. 173.

In Peloponneso, et ad Limyrum fluvium Lyciæ. ⊙.

Radix gracilis, annua, ferè insipida. *Herba* glaberrima. *Caulis* erectus, pedalis vel sesquipedalis, foliosus, obtusangulus, supernè alternatìm divisus. *Folia* alterna, tripinnatifida; laciniis lineari-setaceis, acutis, muticis, plurimùm oppositis. *Petiolus communis* margine dilatatus, membranaceus, basi amplexicaulis. *Umbellæ* terminales, solitariæ, longiùs pedunculatæ, magnæ, albæ, vel subcarneæ, multiradiatæ; post florescentiam coarctatæ, rubicundæ. *Radii* læves, angulati, firmi. *Umbellulæ* multifloræ, latè radiantes. *Involucrum* subhexaphyllum, mox deflexum, foliolis ternatis, vel pinnatis, setaceis, quandoque punctato-scabriusculis, basi membranaceo-dilatatâ. *Involucella* undique pinnato-multifida, longitudine radii. *Flores disci* masculi, petalis inflexo-cordatis, parùm radiantibus, staminibus corollâ longioribus: *marginales* fœminei, petalis duobus exterioribus, ut in *Tordylio officinali*, t. 267, quam maximè inæquilateris, singulorum lobis majoribus, approximatis, petalum maximum, bilobum, simulantibus. *Stamina*, in floribus radiantibus, desunt. *Germen* ovatum, glabrum. *Styli* duo, breves, basi tumidi. *Stigmata* obtusa. *Fructus* ellipticus, compressus, margine duplicato, complanato, latè ac profundè sinuato, pulcherrimo, persistente. *Semina* extùs convexa, tricostata; intùs ad *commissuram*,

Artedia squamata.

Daucus guttatus.

transversè corrugata, ferè squamulosa, apice stylo persistente, erecto, mucronulata. In centro *Umbellæ* stat fasciculus atro-sanguineus setarum, quæ basi coalitæ sunt, et pilis albis supernè quasi pruinatæ videntur.

Planta pulchra, umbellæ penicillo centrali, nec non seminibus squamatis, omninò singularis, in hortis rariùs conservatur, quod sanè botanicis curiosis dolendum est. Artedii merita ichthyologica in nomine specifico lepidè indicat Linnæus.

a, A. Flos disci, masculus, magnitudine naturali et auctâ.
b, B. Flos radii, fœmineus.
c, C. Penicillus centralis Umbellæ.
d. Fructus.
e. Semen seorsìm, e parte internâ.

DAUCUS.

Linn. Gen. Pl. 131. *Juss.* 224. *Gærtn. t.* 20. *Spreng. Prodr.* 23.

Involucra pinnatifida. *Corollæ* subradiatæ. *Fructus* muricatus.

TABULA 269.

DAUCUS GUTTATUS.

Daucus pilis caulinis patentibus, involucro umbellâ breviore, involucellis membranaceis, flosculis centralibus abortivis discoloribus.

In insulis Græciæ frequens; etiam in Asiâ minore. ⊙.

Radix annua, tenuis, subramosa. *Caulis* erectus, pedalis, alternatìm ramosus, foliosus, teres, striatus, hirtus, pilis undique patentibus, albis, mollibus, ad genicula copiosioribus. *Folia* sparsa, patentia, breviùs petiolata, bipinnata; foliola pinnatifida, laciniis remotis, lanceolatis, acutis, margine carinâque præcipuè hispidis. *Petiolus communis* pilosus, basi dilatatus, canaliculatus, margine densissimè ciliatus. *Umbellæ* terminales, pedunculatæ, solitariæ, haud biunciales, multiradiatæ, scabræ; post florescentiam incurvato-coarctatæ. *Umbellulæ* multifloræ, paululùm radiantes, albæ, cum flore centrali atro-sanguineo, clauso, abortivo, sicut tota umbellula centralis subquinqueflora. *Involucrum* polyphyllum, umbellâ paulò brevius, foliolis linearibus, acutis, extùs scabris, partìm indivisis, partìm pinnatis, vel pinnato-trifidis, omnibus longitudine subæqualibus. *Involucella* polyphylla, foliolis inæquali-

bus, lanceolatis, acutis, membranaceis, albis, tenuissimè fimbriatis, carinâ viridi. *Flores* omnes plùs minùs radiantes, exteriores præcipuè fertiles. *Perianthium* vix ullum. *Petala* omnia obcordato-biloba, mucronulo inflexo, quorum quatuor valdè inæquilatera, quintum æquale. *Stamina* corollâ longiora, patentia, alba. *Germen* oblongum, parvum, villosum, in floribus centrum versus obsoletum. *Styli* duo, exigui, divaricati, stigmatibus simplicibus. *Fructus* elliptico-oblongus, undique muricatus. *Semina* intùs plana, commissurâ sulcatâ, lanceolatâ; extùs quadricostata, interstitiis pilosis, costis omnibus muricato-setosis, setis patentibus, lævibus, basi complanatis, apice furcato-aduncis.

Synonymon, Σλαφυλινον αγριον, a Sibthorpio in manuscriptis indicatum, apud Dioscoridem, lib. 3. cap. 83, (159 in Prodromo, ex errore,) non inveni.

a. Involucrum, cum Umbellulâ centrali abortivâ, atro-sanguineâ.
B. Eadem Umbellula triplò aucta.
c. Involucellum cum Flore centrali, paritèr abortivo et discolore.
D. Flos abortivus auctus.
e, E. Flos cum Staminibus et Pistillo.
f, F. Fructus.

TABULA 270.

DAUCUS BICOLOR.

Daucus pilis patentibus, involucro trifido umbellâ longiore, involucellis hinc membranaceis, umbellulâ centrali discolore.

In Asiâ minore. ⊙.

Priore paulò major, sed habitus ferè idem, ut et forma *foliorum fructûsque*. *Umbellæ* majores. *Involucri foliola* omnia pinnato-trifida, umbellâ longiora. *Involucella* quasi dimidiata, octophylla; foliolis quatuor exterioribus linearibus, foliaceis, scabris; interioribus longè minoribus, membranaceis, albis, fimbriatis. *Umbellulæ* ferè uniformes, multifloræ, vix radiantes; marginales albæ; centrales, vel solitariæ vel aggregatæ, guttato-purpureæ, minùsque fertiles, involucellis undique membranaceis. *Flores* omnes subregulares, petalis æquilobis, inflexo-cordatis. *Stamina* in omnibus corollâ longiora, patentia, in purpureis purpurascentia. *Germen* hispidum. *Styli* post anthesin elongati, patentes.

Forsitan prioris varietas.

a. Involucrum.
b. Involucellum.
c, C. Flos marginalis, subradians.
d, D. Flos ex umbellulâ centrali.

Daucus bicolor.

Daucus involucratus.

Daucus littoralis.

TABULA 271.

DAUCUS INVOLUCRATUS.

Daucus pilis patentibus, involucro pinnatifido umbellâ longiore, umbellulis paucifloris uniformibus, involucellis angustatis.

In maritimis insulæ Cypri. ⊙.

Præcedentibus affinis, at proculdubiò distincta. *Herba* tenella, pilosiuscula. *Folia* longiùs petiolata, *petiolis* basin versus pilosissimis, ut in *D. guttato* et *bicolore*. *Umbellæ* subaxillares, longè pedunculatæ, unciales, plerumque quadriradiatæ, albæ, vel purpureo-incarnatæ. *Umbellulæ* subquadrifloræ, inæquales. *Involucri foliola* pinnatifida, linearia, scabra, umbellâ duplò longiora. *Involucella* angustissima, margine tantùm membranacea. *Flores* exigui, uniformes, vix radiantes. *Petala* inflexo-cordata, æquiloba, concava. *Stamina* petalis duplò breviora, antheris didymis. *Styli* post anthesin elongati, basi tumidi, persistentes. *Fructus* elliptico-oblongus, pilosus, costis undique armatis, ut in *D. guttato*, tab. 269.

a. Involucellum.
b, B. Flos, magnitudine naturali et auctâ.
c, C. Fructus, Stylis persistentibus coronatus.

TABULA 272.

DAUCUS LITTORALIS.

Daucus pilis caulinis deflexis, involucro subtrifido umbellâ triplò breviore, involucellis membranaceis.

In insulæ Cypri maritimis. ⊙.

Radix fusiformis, gracilis, altè descendens, annua. *Caulis* undique ramosus et diffusus, teres, striatus, rubicundus, foliosus, multiflorus, haud spithamæus; plerumque hirtus, pilis mollibus, deflexis; interdùm glabratus. *Folia* bipinnata, pinnatifida, scabriuscula, subcarnosa, laciniis lanceolatis, acutis. *Petiolus communis* basi dilatatus, canaliculatus, densè ciliatus, quandoque extùs hirsutus. *Umbellæ* laterales et terminales, pedunculatæ, biunciales, incarnato-albæ, sæpiùs multiradiatæ, rigidulæ, scabræ. *Umbellulæ* subseptemfloræ, parùm radiantes; fructiferæ longiùs pedunculatæ, sæpiùs pentaspermæ; centralis ferè sessilis, nec minùs fertilis. *Involucrum*

plerumque pentaphyllum, umbellâ triplò brevius, foliolis linearibus, scabris, trifidis vel indivisis. *Involucella* lanceolata, longitudine vix umbellulæ, margine membranaceo, albo, ciliato. *Flores* omnes ferè uniformes; marginales paululùm majores et subradiantes, præcipuè fertiles. *Petala* inflexo-cordata, alba. *Stamina* corollâ duplò breviora. *Germen* densissimè villosum, apice tumidum, glabratum, rubrum. *Styli* patentes, albi. *Fructus* ferè trium præcedentium.

a. Involucellum.
b, B. Flos marginalis, magnitudine naturali et auctâ.
c, C. Fructus.

AMMI.

Linn. Gen. Pl. 132. *Juss.* 224. *Gærtn. t.* 22. *Spreng. Prodr.* 41.
Visnaga. *Gærtn. t.* 21.

Involucra pinnatifida. *Corollæ* subradiatæ. *Flores* omnes fertiles. *Fructus* oblongus, angulatus, lævis.

TABULA 273.

AMMI MAJUS.

Ammi foliis inferioribus pinnatis; superioribus biternatis angustatis acuminatis.
A. majus. *Linn. Sp. Pl.* 349. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1392. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 129. *Tourn. Inst.* 304. *Bauh. Pin.* 159.
Ammi. *Trag. Hist.* 874. *Fuchs. Hist.* 67. *Dalech. Hist.* 695. *f.* 1.
A. vulgare. *Dod. Pempt.* 301. *Ger. Em.* 1036.
A. vulgatius. *Lob. Ic.* 721.
Ασπροκέφαλος *hodiè*.

In vineis et arvis insularum Græcarum ubique. ⊙.

Radix fusiformis, ramosa, annua. *Herba* glauco-virens, glaberrima. *Caulis* erectus, quadripedalis, ramosus, foliosus, teres; supernè striatus, vel obsoletè sulcatus. *Folia* alterna; *inferiora* longiùs petiolata, duplicato-pinnata, foliolis obovato-oblongis, obtusiusculis, decurrentibus, crebrè et acutè serratis; *superiora* biternata, breviùs petiolata, petiolo vaginante, foliolis lanceolatis, vel lineari-lanceolatis, acuminatis, sæpiùs copiosè serratis, quandoque hinc inde integerrimis. *Umbellæ* laterales et

Ammi majus.

Bunium pumilum.

terminales, pedunculatæ, solitariæ, magnæ, multiradiatæ, niveæ, radiis gracilibus, angulato-teretibus, tuberculato-scabriusculis, rigidulis. *Umbellulæ* copiosæ, uniformes, subradiantes, multifloræ. *Involucrum* deflexum, polyphyllum, foliolis pinnato-tripartitis, linearibus, aristato-acuminatis, lævibus, umbellâ duplò brevioribus. *Involucella* polyphylla, lineari-lanceolata, acuminata, margine membranaceo, albo. *Flores* omnes ferè fertiles, undique albi; exteriores subradiantes. *Perianthium* nullum. *Petala* inflexo-cordata: quorum quatuor valdè inæquilatera; quintum majus, exterius, æqualitèr bilobum. *Stamina* petalis duplò longiora, antheris didymis. *Germen* ovatum, sulcatum, glabrum. *Styli* breves, divaricato-recurvi, persistentes. *Stigmata* acuta. *Fructus* copiosissimus, elliptico-oblongus, compressiusculus. *Semina* oblonga, corticata, pentagona, quinque-costata, interstitiis planiusculis, vix convexis; apice retusa, stylis mucronulata.

a, A. Flos marginalis, magnitudine naturali et auctâ.
b, B. Fructus maturus, seminibus disjunctis, ex apice receptaculi capillaris, bipartiti, pendentibus.
C. Seminis sectio transversa.

BUNIUM.

Linn. Gen. Pl. 132. *Juss.* 223.

Corolla uniformis. *Petala* inflexo-cordata, æquiloba. *Fructus* ovatus. *Involucella* setacea.

TABULA 274.

BUNIUM PUMILUM.

Bunium involucro submonophyllo, foliis bipinnatis pilosis incisis: laciniis acutis, fructu ovato-oblongo.

In monte Parnasso. ♃.

Radix tuberosa, ferè globosa, perennis; basi fibrillosa. *Herba* vix spithamæa, pubescens, caule ramoso, subcorymboso, folioso, tereti; basi gracili, flexuoso. *Folia* petiolata, alterna, bipinnata; laciniis acutis, subincisis. *Petioli* pilosi; basi dilatati, vaginantes, margine membranacei; superiores abbreviati. *Umbellæ* quadri- vel quinque-radiatæ, pubescentes, patulæ; vel laterales, subsessiles; vel terminales, pedunculatæ. *Umbellulæ* densæ, multifloræ, albæ. *Involucrum* monophyllum, breve, vel

sæpiùs nullum. *Involucella* polyphylla, patula, lineari-setacea, umbellulâ duplò breviora. *Petala* alba, omnia inflexo-cordata, lobis æqualibus, vix, etiam in floribus marginalibus, radiantia. *Stamina* petalis duplò longiora, antheris fuscis. *Styli* recurvato-patentes, persistentes; basi tumidi. *Stigmata* obtusa. *Fructus* ovato-oblongus, compressiusculus, sulcatus, glaber, seminibus pentagonis, ferè ut in *Ammeo*, tab. 273, quocum tamen genere associari characteres ferè omnes, et habitus, omninò vetant.

a, A. Flos marginalis, magnitudine naturali, et multùm auctâ.
b, B. Fructus.

ATHAMANTA.

Linn. Gen. Pl. 133. *Juss.* 223.
Libanotis. *Gært. t.* 21.

Fructus ovato-oblongus, convexus, striatus. *Petala* inflexo-cordata, æquiloba, subæqualia. *Calyx* integer. *Involucra* et *Involucella* polyphylla.

TABULA 275.

ATHAMANTA VERTICILLATA.

Athamanta foliolis multipartitis verticillato-divaricatis glabris, seminibus oblongis nudis.

In monte Parnasso. ♃.

Radix sublignosa, perennis, crassitie ferè digiti minoris, multiceps. *Caules* pedales, erectiusculi, flexuosi, ramosi, teretes, læves, vix striati, parùm foliosi. *Folia radicalia* copiosa, cæspitosa, longiùs petiolata, patentia, pinnata; foliolis numerosis, oppositis, confertis, bipinnatifidis, laciniis linearibus, acutis, glabris, undique patentibus, verticillum quasi formantibus: *caulina* longè minora, simpliciora, et ferè plana, petiolis abbreviatis, vaginantibus. *Umbellæ* terminales, longiùs pedunculatæ, parvæ, densæ, multiradiatæ, albæ, glabræ, *umbellulis* uniformibus. *Involucrum* umbellâ duplò brevius, foliolis subsenis, ovatis, acuminatis, glabris, margine membranaceo, albo. *Involucella* prorsùs involucro conformia. *Flores* parvi, nivei, ferè uniformes, et omnes, ut videtur, fertiles. *Perianthium* obsoletè quinquedentatum. *Petala* vix radiantia, omnia inflexo-cordata, æquilatera, et uniformia. *Stamina*

Athamanta verticillata.

Athamanta multiflora.

petalis duplò vel triplò longiora, antheris subrotundis, didymis. *Germen* glabrum, turbinatum, sulcatum; apice tumidum. *Styli* breves. *Fructus* maturus desideratur.

Fructûs pubescentia vel glabrities in hoc genere vix nisi speciei characterem præbet.

a, Involucrum et Involucellum. *b*, B. Flos marginalis.

TABULA 276.

ATHAMANTA MULTIFLORA.

Athamanta foliis tripinnatis incisis obtusiusculis glabris, seminibus ovatis nudis, caule ramosissimo paniculato.

In insulâ Cypro. ♃.

Radix teretiuscula, carnosa, pallida, forsitàn perennis. *Herba* glabra, glauco-virens, sublactescens. *Caulis* erectus, herbaceus, pedalis aut sesquipedalis, a basi ad apicem alternatìm ramosissimus, undique foliosus, multiflorus, teres, striatus. *Folia* alterna, rariùs, sub ramulis oppositis, opposita, petiolata, tripinnata, pinnulis plùs minùs incisis, laciniis parvis, ellipticis, obtusiusculis, ferè uniformibus, decurrentibus, lævibus. *Petioli* basi dilatati, vaginantes, sulcati. *Umbellæ* copiosæ, terminales, albæ, multiradiatæ, undique glabræ, *umbellulis* uniformibus, multifloris. *Involucrum* umbellâ longè brevius, foliolis subsenis, ovatis, acutis, persistentibus, margine tenui, albo. *Involucella* involucro conformia, at paulò minora. *Flores* nivei, omnes ferè uniformes, regulares, et, ni fallor, fertiles. *Perianthium* inconspicuum. *Petala* haud radiantia, omnia inflexo-cordata, æquilatera, et æqualia. *Stamina* petalis triplò longiora, antheris incumbentibus, subrotundis. *Germen* ovato-oblongum, sulcatum, glabrum. *Styli* breves. *Fructus* didymus, compressiusculus, demum bipartitus. *Semina* incurvato-gibba, vel semiovata, solida, glaberrima, fusca, vix aromatica, amara, vel acria; intùs subdistantia, receptaculo filiformi, recto, interstincto; extùs quinque-costata, parùm sulcata.

a. Involucrum.
b. Involucellum.
c, C. Flos, proportione naturali et auctâ.
d, D. Fructus maturus.
E. Seminis aucti sectio transversa.

PEUCEDANUM.

Linn. Gen. Pl. 134. *Juss.* 223. *Gærtn. t.* 21. *Spreng. Prodr.* 13.

Fructus ovatus, utrinque striatus, alâ cinctus. *Calyx* quinquedentatus. *Involucra* brevissima. *Flores* disci abortivi.

TABULA 277.

PEUCEDANUM OBTUSIFOLIUM.

Peucedanum foliolis pinnatifidis coriaceis: lacinulis oppositis obovatis obtusis.

In Bœotiâ, et ad Ponti Euxini littora. ♃.

Radix perennis, crassa, cylindracea, luteo-fuscescens, altè descendens; apice subdivisa, fibrillosa. *Herba* glabra, subcarnosa, tristè virens, circitèr pedalis. *Caulis* adscendens, tortuoso-incurvus, teres, foliosus, supernè ramosus, multiflorus. *Folia* ternata; pinnata; foliolis crassis, pinnatifidis; laciniis oppositis, obovatis, obtusis, integerrimis, lævibus. *Petioli* basi vaginantes, striati. *Umbellæ* terminales, pedunculatæ, ochroleucæ, quinque- vel sex-radiatæ, radiis crassis, rigidis, teretibus, striatis; *umbellulis* uniformibus, multifloris. *Involucra*, ut et *involucella*, brevissima, polyphylla, persistentia, foliolis ovato-lanceolatis, acutis, indivisis, uniformibus. *Flores* marginales copiosi, omnibus organis perfecti et fertiles, parùm irregulares; centrales pauci, minores, abortivi. *Perianthium* exiguum, quinquedentatum, acutum, inæquale. *Petala* inflexo-cordata, æquilatera, ochroleuca, subæqualia. *Stamina* petalis duplò vel triplò longiora, antheris didymis, luteis. *Germen* elliptico-oblongum, angulatum, glabrum, disco, vel floris receptaculo, magno, decemcrenato, virescente, coronatum. *Styli* exigui, divaricati. *Fructus* ovatus, vel obovatus, compresso-planiusculus, obsoletè striatus; limbo lato, suberoso, lævi, integerrimo, tumidiusculo, basi apiceque emarginato. *Semina* extùs planiuscula, fusca; intùs pallidiora, profundiùsque striata.

a, A. Flos marginalis, magnitudine naturali et auctâ.
b, *b*. Semina matura.
c. Seminis sectio transversa.

Peucedanum obtusifolium.

b

B

c

d

A

Cachrys sicula?

CACHRYS.

Linn. Gen. Pl. 135. *Juss.* 223. *Gærtn. t.* 140. *Spreng. Prodr.* 20.

Fructus subovatus, suberoso-corticatus. *Petala* æqualia. *Involucra* et *Involucella* polyphylla.

TABULA 278.

CACHRYS SICULA.

Cachrys foliis radiato-supradecompositis: foliolis trifidis linearibus acutis, seminibus sulcatis cristato-asperis.

C. sicula. *Linn. Sp. Pl.* 355. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1410. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 136. *Desfont. Atlant. v.* 1. 249.

C. semine fungoso sulcato aspero, foliis peucedani latiusculis. *Tourn. Inst.* 325.

C. peucedani folio, semine sulcato aspero minore. *Moris. v.* 3. 267. *sect.* 9. *t.* 1. *f.* 3.

C. folio brevi, pastinacæ marinæ accedens. *Herb. Sherard.*

Hippomarathrum creticum. *Bauh. Pin.* 147. *Prodr.* 76.

H. siculum. *Bocc. Sic.* 36. *t.* 18.

Πεῤῥοανάρθηκας *Cypr. hodiè.*

In petrosis Bœotiæ, et insulæ Cypri. ♃.

Radix oblonga, crassa, carnosa. *Herba* cubitalis aut bicubitalis, in hortis altitudine ferè humanâ, erecta, rigida, lætè virens. *Caulis* ramosissimus, foliosus, teres, striatus, quandoque scabriusculus; intùs spongiosus, farctus; basi crassus et sæpè nodosus; ramis summis verticillato-aggregatis. *Folia* plerumque opposita, supradecomposita, pinnis pinnulisque subquaternis, radiato-patentibus, recurvis; foliolis trifidis, linearibus, acutis, integerrimis, subcarnosis, canaliculatis, triquetris, latitudine et longitudine valdè variis, angulis præcipuè asperis. *Petioli* canaliculati; inferiores basi dilatati, haud vaginantes. *Umbellæ* terminales, aggregatæ, copiosæ, pedunculatæ, fulvæ, multiradiatæ, radiis angulatis, sulcatis, vix scabris; *umbellulis* uniformibus, inter quinque- et decemfloris. *Involucra* et *involucella* polyphylla, patentia, linearia, integerrima, obtusiuscula, mucronulata, margine scabriuscula, radiis multò breviora. *Flores* regulares; marginales tantùm fertiles. *Perianthium* parvum, pentaphyllum, acutum, inflexum, persistens. *Petala* involuta, æqualia, fulva. *Stamina* elongata, patula, fulva, antheris didymis. *Germen* orbiculato-compressum, sulcatum, muricatum, disco magno, repando, flavescente. *Styli* brevissimi, in floribus marginalibus

mox elongati, horizontalitèr divaricati ac refracti, stigmatibus obtusis. *Fructus* ovatus, rufo-fuscus, utrâque parte quinque-costatus, costis compressis, crebrè denticulato-cristatis; sulcis intermediis profundis, sæpiùs lævibus. *Semina* intùs plana; extùs suberoso-corticata, sulcata, aspera.

Foliolorum proportione, fructûs longitudine et asperitate, involucro quandoque pinnato, insignitèr variabilis hæc species videtur.

A. Flos marginalis auctus.
b, B. Fructus magnitudine naturali et auctâ.
c. Semen e parte internâ; cum ejusdem sectione transversâ, *d*.

FERULA.

Linn. Gen. Pl. 136. *Juss.* 222. *Gœrtn. t.* 85. *Spreng. Prodr.* 13.

Fructus elliptico-oblongus, integer, compresso-planus, submarginatus; costis utrinque tribus, prominulis. *Flores* subregulares, omnes fertiles. *Involucrum* varium.

TABULA 279.

FERULA NODIFLORA.

Ferula foliolis pinnatis capillaceo-multifidis, umbellis inferioribus subsessilibus, involucro universali nullo.

F. nodiflora. *Linn. Sp. Pl. ed.* 1. 247. *ed.* 2. 356.

F. sibirica. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1411? ex charactere.

F. minor, ad singulos nodos umbellifera. *Tourn. Inst.* 321, excluso J. Bauhini synonymo.

Libanotis ferulæ folio et semine. *Bauh. Pin.* 158.

Panax asclepium, ferulæ facie. *Lob. Ic.* 783. *Ger. Em.* 1057.

Panaces asclepium. *Dod. Pempt.* 308.

In insulâ Cypro. ♃.

Caulis erectus, bicubitalis vel altior, foliosus, teres, lævis, intùs farctus; supernè ramosus, multiflorus. *Folia* magna, saturatè viridia, ex apice petioli latè vaginantis et concavi mox tripartita, dein pinnata, pinnis bipartitis, bipinnatis, foliolis divisis, vel trifidis, capillaceo-linearibus, acutis, integerrimis, lævibus, vix canaliculatis, crassitie æqualibus, longitudine haud uncialibus. *Petioli* ferè aphylli, bracteiformes, solitarii vel aggregati, sub singula caulis ramificatione, demùm reflexi. *Umbellæ* pri-

b a A

Ferula nodiflora

Ferula thyrsiflora?

mordiales axillares vel laterales, brevissimè, terminales longiùs, pedunculatæ; omnes fulvæ, majusculæ, multiradiatæ, umbellulis multifloris, uniformibus. *Involucra* universalia omninò nulla. *Involucella* polyphylla, lineari-lanceolata, acuminata, persistentia. *Flores* omnes uniformes, fertiles, et ferè regulares, undique saturatè lutei vel fulvi. *Perianthium* exiguum. *Petala* inflexo-cordata, subæqualia. *Stamina* petalis multò longiora. *Germen* oblongum, glabrum. *Styli* patentissimi. *Fructus* elliptico-obovatus, angustè marginatus, utrinque tricostatus, costis approximatis, parùm prominentibus.

F. nodiflora recentiorum est *F. Ferulago* Linnæi. Confer Jacq. Austr. append. 28. t. 5, et Willden. Sp. Pl. v. 1. 1413.

a, A. Flos. *b*. Fructus maturus, disco stylisque coronatus.

TABULA 280.

FERULA THYRSIFLORA.

Ferula foliis ternato-supradecompositis: foliolis linearibus simplicibus, ramis floriferis terminalibus aggregatis compositis.

In insulæ Cretæ rupibus. ♃.

Præcedente vix minor. *Folia* undique terno ordine composita, ut in *Ferulâ communi*, nec pinnata; *foliola* sesquiuncialia, uniformia, linearia, vel ferè capillacea, integerrima, lævia, vix scabriuscula, subglauca; *petiolis* teretibus. *Umbellæ* terminales, copiosæ, in ramis ramulisque oppositis vel aggregatis, sæpiùs quaternis, foliolosis, sive bracteatis, omnes pedunculatæ, minores quam in *F. nodiflorâ*, paululùmque pallidiores. *Involucra* et *involucella* ferè conformia, polyphylla, foliolis lanceolatis, persistentibus. *Flores* uniformes, fulvi, omnes fertiles et regulares. *Petala* subcordata, mucrone inflexo. *Stamina* elongata. *Germen* ovatum, compressiusculum, obtusangulum. *Styli* breves. *Fructus* nobis desideratur.

a. Involucrum. *b*, B. Flos.

HERACLEUM.

Linn. Gen. Pl. 137. *Juss.* 222. *Spreng. Prodr.* 12.
Sphondylium. *Gærtn. t.* 21.

Fructus ellipticus, emarginatus, compresso-planus, striatus; margine membranaceo, extùs incrassato. *Petala* inæqualia, inflexo-emarginata. *Involucrum* caducum. *Flores* disci abortivi.

TABULA 281.

HERACLEUM ABSINTHIFOLIUM.

Heracleum foliis supradecompositis tomentosis incisis: laciniis lanceolatis acutis, umbellâ multiradiatâ.

H. absinthifolium. *Venten. Pl. Select.* 7. *t.* 7. *Marsch. â Bieberst. Taur. Caucas. v.* 1. 224. *Spreng. Prodr.* 12.

H. tomentosum. *Prodr. v.* 1. 192.

Sphondylium orientale humilius, foliis absinthii. *Tourn. Cor.* 22.

Tordylium absinthifolium. *Pers. Syn. v.* 1. 314. Marsch.

Zosima orientalis. *Hoffm. Umb.* 148. *t.* 4. *t. tituli f.* 11.

In Græciâ, ex herbario Sibthorpiano, at locus non memoratur. ♃ ?

Radix biennis, simplex, teres, crassitie digiti, post exsiccationem ferè insipida; extùs annulata, nigricans. *Herba* undique tomentoso-incana, pulchra. *Caulis* solitarius, erectus, cubitalis, firmus, sulcatus, farctus, parùm ramosus; basi præcipuè foliosus. *Folia* petiolata, spithamæa, tomentoso-mollia, tripinnata: foliolis alternis, pinnatifido-incisis, trifidisve; laciniis lanceolatis, acutis, integerrimis, decurrentibus, parvis, subæqualibus. *Petioli* canaliculati, striati, incani, vix basi dilatati. *Umbellæ* solitariæ, terminales, longiùs pedunculatæ, multiradiatæ, niveæ, tomentosæ; centralis maxima. *Involucrum* breve, foliolis lineari-lanceolatis, acutis, lanatis, ratione radiorum paucissimis, at vix deciduis. *Involucella* involucro conformia, sed densiùs lanata, et longitudine dimidii pedicellorum. *Umbellulæ* uniformes, multifloræ, minùs conspicuè radiantes. *Flores* undique albi; disci minores, abortivi; radii paulò majores, irregulares. *Perianthium* obsoletum. *Petala* inflexo-obcordata, uniformia; exteriora majora, nec dilatato-complanata. *Stamina* elongata, patentia. *Germen* subrotundum, densè lanatum. *Styli* parvi, mox elongati. *Fructus* copiosus, obovato-ellipticus, disco striatus, pilosus, fuscus; basi obtusus; apice emargi-

Heracleum absinthifolium?

Heracleum aureum?

natus; limbo dilatato, membranaceo, pallido, extùs incrassato, undique munitus. *Semina* valdè compressa, acria, odore forti, nauseoso, cimicum.

Seminum lineæ coloratæ, in aliquibus *Heraclei* speciebus tam conspicuæ et pulchræ, in hâc vix inveniuntur. Involucrum universale persistens minoris est momenti. Perpensis omnibus, de hujus herbæ genere vix disputandum.

a, A. Flos radii, magnitudine naturali et auctâ.
b. Umbellula, cum fructibus maturis, et involucello persistente.
c. Semen exteriùs.
d. Idem ex parte internâ.
e. Fructûs sectio transversa.

TABULA 282.

HERACLEUM AUREUM.

Heracleum foliis pinnatis lobatis incisis pubescentibus; radicalibus rotundatis, umbellâ subtriradiatâ, caule ramosissimo.

Tordylium luteum. *Column. Ecphr. v.* 1. 122. *t.* 121.

In monte Parnasso. ♂.

Radix fusiformis, gracilis, biennis, vel fortè annua. *Herba* saturatè virens, undique tenuè pubescens, tactu scabriuscula. *Caulis* subsolitarius, erectus, sesquipedalis, alternatìm ramosus, foliosus, angulatus, sulcatus, farctus; supernè corymbosus, multiflorus; basi purpurascens. *Folia* petiolata, pinnata, dentato-incisa, venosa, utrinque concolora; *foliolis* plùs minùs tripartitis; radicalium dilatatis, rotundatis, obtusis; caulinorum angustatis, acutioribus. *Petioli* basi dilatati, concavi, vaginantes. *Umbellæ* terminales, sæpiùs triradiatæ, rariùs bi- vel quadriradiatæ, radiis patentibus, angulatis, scabris. *Umbellulæ* densæ, uniformes, multifloræ, haud insignitèr radiantes. *Flores* saturatè lutei; disci minores, abortivi; radii majores, irregulares. *Perianthium* nullum. *Petala* uniformia, obcordata, concava, mucrone inflexo; exteriora paulò majora. *Stamina* vix longitudine petalorum. *Styli* demùm erecto-paralleli; basi pyramidati. *Stigmata* obtusa, recurva. *Fructus* elliptico-obcordatus, ferè orbiculatus, undique tenuissimè pubescens; disco rufo, tumidulo, tenuè tricostato, nec sulcato, supernè obsoletè trilineato; limbo dilatato, demùm saturatè fusco, extùs paululùm incrassato, albido. *Semina* inodora; intùs plana, saturatè fusca.

Umbellæ in icone Columnæ radiis sex vel septem sese offerunt; nec aliam vel minimam differentiam inveni. De hâc specie apud Tournefortium nulla indicia detexi. Huic proxima sanè est *Pastinaca orientalis, foliis elegantèr incisis*, Tourn. Cor. 22. Buxb. Cent. 3. 16. t. 27; at cum *Heracleo humili* nostro, Prodr. Fl. Græc. n. 671, potiùs convenit.

a, A. Flos radii, magnitudine naturali, et multùm auctâ.
b. Fructus. *c*. Ejusdem sectio transversa.

CORIANDRUM.

Linn. Gen. Pl. 142. *Juss.* 220. *Gærtn. t.* 22. *Spreng. Prodr.* 21.

Fructus sphæricus, glaber. *Corolla* radiata. *Petala* inflexo-emarginata. *Involucrum* submonophyllum. *Involucella* dimidiata. *Flores* aliquot abortivi.

TABULA 283.

CORIANDRUM SATIVUM.

Coriandrum fructibus globosis, seminibus hemisphæricis.

C. sativum. *Linn. Sp. Pl.* 367. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1448. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 151. *Sm. Fl. Brit.* 320. *Compend. ed.* 3. 47. *Engl. Bot. t.* 67. *Woodv. Med. Bot. t.* 181. *Mart. Fl. Rust. t.* 141. *Dalech. Hist.* 735.

C. majus. *Bauh. Pin.* 158. *Rivin. Pentap. Irr. t.* 71.

Coriandrum. *Brunf. Herb. v.* 1. 203. *Trag. Hist.* 115. *Fuchs. Hist.* 345. *Matth. Valgr. v.* 2. 121. *Camer. Epit.* 523. *Ger. Emac.* 1012. *Rivin. Pentap. Irr. t.* 70.

Κοριον, ἢ κοριαννον. *Diosc. lib.* 3. *cap.* 71.

Κορίανδρον, ἢ κουσβαρὰς *hodiè.*

Inter segetes Peloponnesi, et insulæ Cypri. ⊙.

Radix fusiformis, gracilis, annua. *Herba* pedalis vel bipedalis, glabra, lucida, odore cimicino. *Caulis* erectus, undique ramosissimus, patens, foliosus, multiflorus, angulato-teres, striatus; basi purpurascens. *Folia* petiolata, saturatè viridia, decomposita; inferiora bipinnata, foliolis cuneatis, vel subrotundis, incisis; superiora tripinnata, foliolis laciniisve linearibus, acutis, integerrimis. *Petioli* dilatati, concavi, nervosi, vaginantes, purpurascentes. *Umbellæ* laterales et terminales, solitariæ, longiùs pedunculatæ, radiis quatuor vel quinque, culturâ sæpè pluribus. *Umbellulæ* densæ, multifloræ, radiantes, incarnato-albæ. *Involucrum* exiguum, monophyllum, lineare, sæpè nullum. *Involucella* dimidiato-secunda, foliolis tribus vel quatuor, lineari-lanceolatis, persistentibus, umbellulâ brevioribus. *Flores* disci ferè regulares, abortivi, post anthesin deflexi; radii maximè irregulares. *Perianthium* pentaphyllum, persistens. *Petala* omnia obcordato-biloba, mucrone inflexo; exterius, in floribus radii, maximum, explanatum, æqualitèr bilobum; proximum, utrinque, lobis valdè inæqualibus; reliqua duo ut in floribus disci. *Stamina* radio breviora, antheris didymis, purpurascentibus. *Germen* subrotundum, læve, disco, demùm pyramidato, coronatum. *Styli* filiformes, divaricati. *Stigmata* obtusa. *Fructus* globosus, obsoletè costatus, tenuè corticatus, aromaticus, perianthio infra apicem cinctus. *Semina* hemisphærica, concava.

a, A. Flos disci; *b*, B, radii.

Coriandrum sativum.

Scandix latifolia?

SCANDIX.

Linn. Gen. Pl. 142. *Juss.* 220. *Gærtn. t.* 85. *Spreng. Prodr.* 29.

Myrrhis. *Gærtn. t.* 23.

Anthriscus. *Spreng. Prodr.* 27?

Fructus subrostratus. *Corolla* radiata. *Petala* subintegra. *Flores* disci sæpè masculi.

TABULA 284.

SCANDIX LATIFOLIA.

Scandix seminibus ellipticis hispidis, foliis biternatis ovatis incisis; vaginis cauleque glabris.

Cachrys cretica. *Lamarck. Encycl. v.* 1. 259. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1410.

C. cretica, angelicæ folio, asphodeli radice. *Tourn. Cor.* 23.

Libanotis apii folio, semine aspero. *Bauh. Pin.* 157.

Echinophora asphodeli nigricante radice, et angustiore lucido angelicæ folio. *Triumf. Obs.* 65.

In insulâ Cypro, etiam in Græciâ, locis, ni fallor, palustribus. ♃.

Radix, monente Tournefortio, tuberosa. *Herba* glabra, lucida, atro-virens. *Caulis* forsitàn tripedalis, vel altior, erectus, strictus, teres, sulcatus, foliosus, multiflorus, vix ramosus. *Folia* caulina opposita, subsessilia, biternata vel triternata; foliolis ovato-oblongis, profundè serratis et incisis, venosis, utrinque acutis. *Petiolus communis* brevissimus, dilatato-marginatus; *partiales* semiteretes. *Umbellæ* axillares et terminales, solitariæ, longiùs pedunculatæ, multiradiatæ, albæ. *Umbellulæ* multifloræ. *Involucrum universale* nullum. *Involucella* polyphylla, ferè setacea, persistentia. *Flores* disci abortivi; radii fertiles, paululùm irregulares, vel subradiantes. *Perianthium* nullum. *Petala* lanceolata, acuminata, involuta, nec emarginata; exteriora paulò majora. *Stamina* petalis longiora, patentia. *Germen* oblongiusculum, hispidum. *Styli* breves, mox elongati, persistentes, stigmatibus simplicibus. *Fructus* elliptico-oblongus, vix compressus, utrinque sulcatus, undique muricatus, setis copiosis, brevibus, rigidulis, incurvis, fuscis; apice vix rostratus, at stylis duobus erectiusculis, distinctis, elongato-pyramidatis, persistentibus, coronatus. *Semina* extùs sulcata, muricata; intùs striata, commissurâ angustâ, lineari.

Cortex seminum incrassatus, quo *Cachryos* character desumitur, in hâc stirpe desideratur; ut et *Scandicis* rostrum elongatum. Inter plura recentiorum genera ambigit, nec cum aliquo benè convenit. *Petala* indivisa *Scandici* propria mihi videntur.

a, A. Flos fertilis, magnitudine naturali et auctâ.

b. Fructus maturus, pedicello, sive umbellulæ radio, insidens.

TABULA 285.

SCANDIX AUSTRALIS.

Scandix seminibus longissimè rostratis hispidis, foliolis lineari-multipartitis, petalis complanatis obtusis.

S. australis. *Linn. Sp. Pl.* 369. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1450. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 152. *Desfont. Atlant. v.* 1. 259.

S. cretica minor. *Bauh. Pin.* 152. *Tourn. Inst.* 326.

S. italica. *Matth. Bauh.* 403. *f.* 2.

S. semine rostrato, italica. *Bauh. Prodr.* 78. *f.* 2.

S. minor, sive Anthriscus. *Ger. Em.* 1040.

Anthriscus Plinii. *Clus. Hist. v.* 2. 199.

Anisomarathrum apulum. *Column. Ecphr. v.* 1. 89. *t.* 90.

Pecten Veneris, tenuissimè dissectis foliis, Antriscus Casabonæ. *Bauh. Hist. v.* 3. *p.* 2. 73.

In arvis Græciæ, Cariæ, et insulæ Cypri. ☉.

Radix gracilis, annua. *Caules* plures, palmares aut spithamæi, subramosi, undique patentes, foliosi, teretes, graciles, plerumque glabri, subindè pubescentes, vel hirsuti. *Folia* petiolata, bipinnata; foliolis pinnatifidis, laciniis linearibus, acutis, angustissimis. *Petioli* canaliculati, hirsuti; basi dilatati, vaginantes, amplexicaules, margine scarioso, albo, ciliato. *Umbella universalis* anomala et incompleta. *Umbellulæ* laterales et terminales, solitariæ vel geminæ, rariùs ternæ aut quaternæ aggregatæ, haud umbellatæ; singularum pedunculis plerumque elongatis, filiformibus; insignitèr quandoque abbreviatis. *Involucrum* universale nullum. *Involucella* subpentaphylla, foliolis ellipticis, concavis, albo marginatis, ciliatis, emarginato-bifidis, vel sæpè indivisis; demùm reflexis, persistentibus. *Flores* exigui, albi, subsessiles; disci masculi, subregulares; radii irregulares, fertiles. *Perianthium* obsoletum, quinquedentatum. *Petala* obovata, obtusa, indivisa, plana; extima, in floribus fertilibus, majora, radiantia. *Stamina* in omnibus corollæ ferè æqualia, antheris subrotundis, luteis vel rubicundis. *Germen*, in floribus radii, oblongum, incurvum, pilosum. *Styli* subulati, disco convexo, dentato, vel toruloso, insidentes, stigmatibus simplicibus. *Fructus* elongato-rostratus, lineari-subulatus, uncialis, angulatus, squamuloso-exasperatus, utrinque sulcatus, disco stylisque coronatus. *Semina* elliptico-oblonga, vix prominula, longissimè rostrata.

Scandix Pecten-Veneris, per totam Europam vulgaris, huic tam affinis est, ut vix, nisi habitu crassiore, petalis inflexo-bilobis, nec non involucello magìs elongato, acuminato, et plerumque multifido, dignoscitur.

a, A. Flos radii. *b*, B. Involucellum. C. Fructus duplò ferè auctus.

Scandix australis.

Thapsia - Asclepium ?

THAPSIA.

Linn. Gen. Pl. 144. *Juss.* 220. *Gærtn. t.* 21. *Spreng. Prodr.* 17.

Fructus oblongus, quadrialatus. *Semina* tricostata, utrinque alâ membranaceâ. *Petala* æqualia, incurva, subintegra. *Flores* uniformes, fertiles. *Involucra* aut *Involucella* nulla.

TABULA 286.

THAPSIA ASCLEPIUM.

Thapsia foliis digitatis; foliolis bipinnatis setaceo-multifidis, caule nudiusculo.
Th. Asclepium. *Linn. Sp. Pl.* 375. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1464.
Th. tenuiore folio, apula. *Tourn. Inst.* 322.
Th. apula, foliis millefolii. *Moris. sect.* 9. *t.* 18. *f.* 9.
Panax Asclepium Dioscoridis et aliorum, gummiferum. *Column. Ecphr. v.* 1. 87. *t.* 86.
P. Asclepium, semine folioso. *Bauh. Pin.* 158.
Panaces Asclepium alterum. *Dalech. Hist.* 740.
Ασκλήπορα *hodiè.*

In agro Eliensi, in insulâ Rhodo, et prope Byzantium. ♃.

Radix cylindraceo-oblonga, corrugata, fusca, carnosa, crassitie pollicis, lactescens, seu gummi amaro, ingrato, subaromatico, scatens; apice fibroso-capillata. *Caulis* solitarius, erectus, subsimplex, teres, glaucescens, glaber, ferè aphyllus, nec nisi foliorum vaginis abortivis, linearibus, reflexis, sparsis, alternis, supernè munitus. *Folia* omnia plerumque radicalia, petiolata, patentia, supradecomposita; pinnis majoribus quinato- vel septeno-digitatis; cæteris oppositis; omnibus bipinnatis; foliolis pinnatifidis, laciniis linearibus, acutis, integerrimis, glaberrimis. *Petioli* semicylindracei, canaliculati, striati, glabri; basi paulò dilatati. *Umbellæ* terminales, solitariæ, pedunculatæ, multiradiatæ, glabræ, *involucris* et *involucellis* prorsùs destitutæ. *Umbellulæ* uniformes, densæ, multifloræ, saturatè luteæ. *Flores* omnes uniformes, regulares, et, ut videtur, fertiles. *Perianthium* quinquedentatum, exiguum. *Petala* ovato-lanceolata, inflexo-subcordata, æqualia. *Stamina* petalis longiora. *Germen* ovatum, glaberrimum, cum disco magno, repando, crasso, virescente. *Styli* sub anthesin breves. *Fructus* nobis, ut et herbario Sherardiano, desideratur. Ex Columnæ icone *Thapsiæ* omninò est.

Thapsia Asclepium apud Cel. Jussieum diversa videtur, floribus albis, et fructu alieno.

a, A. Flos, magnitudine naturali et auctâ.

TABULA 287.

THAPSIA GARGANICA.

THAPSIA foliis digitatis subradiatis; foliolis pinnatifidis linearibus decurrentibus, caule folioso.

Th. garganica. *Linn. Mant.* 57. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1465. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 156. *Gouan. Obs.* 18. *t.* 10. *Desfont. Atlant. v.* 1. 262.

Th. sive Turbith garganicum, semine latissimo. *Bauh. Hist. v.* 3. *p.* 2. 50. *Tourn. Inst.* 322.

Th. libanotidis folio, glutinosa glabra. *Pluk. Phyt. t.* 67. *f.* 2.

Th. thalictri folio. *Magn. Monsp.* 287. *t.* 286.

Θαψια *Diosc. lib.* 4. *cap.* 157.

Πολύκαρπος *Zacynth.*

In Græciæ provinciis et insulis frequens. 2.

Radix oblonga, crassa, nigricans, lactescens, perennis; apice capillata. *Caulis* solitarius, erectus, tripedalis, foliosus, teres, purpureo-glaucus, glaberrimus, solidus, parùm ramosus. *Folia* alterna, petiolata, ampla, supradecomposita; pinnis pinnulisque glabris, quasi radiatis, magnitudine variis, pinnatifidis, vel bipinnatifidis; laciniis indivisis bifidisve, linearibus, acutis, integerrimis, ad petiolum communem decurrentibus; subtùs pallidioribus. *Petiolus* crassus, semicylindraceus, purpureo-glaucus, glaber; basi concavus, vaginans, striatus. *Umbellæ* terminales, maximæ, multiradiatæ, glabræ; *umbellulis* densis, multifloris, luteis. *Involucra*, vel *involucella*, planè nulla. *Flores* regulares, uniformes, haud radiati, omnes fertiles. *Perianthium* obsoletum, quinquedentatum. *Petala* lanceolata, acuminata, involuta, indivisa. *Stamina* petalis duplò longiora. *Germen* ovatum, læve, disco tumido, bilobo. *Styli* divaricati. *Stigmata* obtusa. *Fructus* copiosissimus, magnus, uncialis, purpureo-fuscus, elliptico-oblongus, compressus, glaber; basi apiceque emarginatus; disco tenuitèr tricostatus; margine utrinque bialatus, alis compresso-parallelis, membranaceis, nitidis, striatis, ad marginem usque tenuibus. *Semina* utrinque striata; intùs pallidiora.

Variat interdùm petiolis communibus et partialibus insignitèr villosis.

Hujus generis fructum haud benè, ut opinor, intellexit Clarissimus Sprengel, cum alæ nullæ dorsales sint, at omnes marginales, duplicatæ.

a, A. Flos. *b*. Fructus maturus.

Thapsia garganica.

Pastinaca Opopanax?

PASTINACA.

Linn. Gen. Pl. 144. *Juss.* 219. *Gærtn. t.* 21. *Spreng. Prodr.* 14.

Fructus ellipticus, compresso-planus, marginatus, sulcatus. *Petala* æqualia, involuta, integra. *Flores* uniformes, fertiles. *Involucrum* varium. *Involucella* ferè nulla.

TABULA 288.

PASTINACA OPOPANAX.

Pastinaca foliis bipinnatis; foliolis basi inæqualibus undique scabris.

P. Opopanax. *Linn. Sp. Pl.* 376. *Mant.* 357. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1466. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 157. *Gouan. Obs.* 19. *t.* 13, 14. *Woodv. Med. Bot. t.* 113.

P. sylvestris altissima. *Tourn. Inst.* 319.

Laserpitium Chironium. *Linn. Sp. Pl.* 358.

Panax costinum. *Bauh. Pin.* 156. *Magn. Monsp.* 197. *Moris. sect.* 9. *t.* 17. *f.* 2.

P. pastinacæ folio. *Bauh. Pin.* 156.

P. Heracleum. *Moris. v.* 3. 315. *sect.* 9. *t.* 17. *f.* 1.

P. Heracleum majus. *Ger. Em.* 1003.

P. Herculeum. *Dale Pharmac.* 126.

P. Chironium. *Dalech. Hist.* 741.

P. altera recentiorum, olusatri aut pastinacæ folio. *Lob. Ic.* 702.

Panaces peregrinum. *Dod. Pempt.* 309.

Sphondylio, vel potius Pastinacæ germanicæ affinis Panax, sive Pseudo-Costus flore luteo. *Bauh. Hist. v.* 3. *p.* 2. 156.

Costus. *Matth. Valgr. v.* 1. 48.

Pseudocostus. *Camer. Epit.* 28. *Dalech. Hist.* 758.

Πολύκαρπον, ἢ αμπελόνα, *hodiè.*

In Peloponneso, Achaiâ et Bœotiâ, copiosè. ♃.

Radix, ex Gouano, "perennis, ramosa, crassitie brachii, flavescens, tuberculata, cortice suberoso. *Caulis* bicubitalis, humanæ interdum altitudinis, crassitie digiti, striatus; basi tectus squamulis scariosis membranaceis, more filicum;" undique foliosus; apice paniculatus, multiflorus; ramis angulatis, nitidis, glabris, quandoque pilosis. *Folia* petiolata, magna, venosa, utrinque scabra, plùs minùs hirsuta, omnia, quæ vidi, crebrò et acutè serrata; primordialia simplicissima, cordata, indivisa, circitèr biuncialia; reliqua ternata, pinnata, aut bipinnata, bipedalia; foliolis basi obliquis, semicordatis; infimis sæpè bilobis; superioribus plerumque decurrentibus. *Petioli* et *nervi* hirsuti. *Bracteæ* oppositæ, lineari-oblongæ, subintegerrimæ, glabræ,

sub singulâ *paniculæ* ramificatione; hinc et inde solitariæ. *Umbellæ* terminales, pedunculatæ, e viridi flavæ, multiradiatæ, glabræ, copiosæ, haud magnæ. *Umbellulæ* multifloræ, uniformes. *Involucrum* parvum, foliolis paucis, linearibus, glabris, persistentibus, quandoque deficientibus. *Involucella* sæpè adsunt, involucro simillima, sed minora. *Flores* uniformes, regulares, omnes fertiles. *Perianthium* subintegrum. *Petala* involuta, indivisa, æqualia, flava. *Stamina* petalis concolora, triplòque longiora. *Germen* ovatum, compressum, læve. *Styli* breves. *Fructus* elliptico-subrotundus, compresso-planus; disco utrinque tricostatus, striatus; margine incrassatus, lævis. *Semina* intùs multistriata.

Sub duplici formâ inter botanicorum icones occurrit; foliis nempè serratis, vel, e pictorum forsitàn incuriâ, integerrimis. Milleri observationes, apud Woodvilleum, ad *Pastinacam sativam* pertinent. De *Gummi Opopanace*, ex hâc stirpe, nil novi compertum habeo.

a, A. Flos. *b*. Folium primordiale.

SMYRNIUM.

Linn. Gen. Pl. 144. *Juss.* 219. *Gærtn. t.* 22. *Spreng. Prodr.* 21.

Fructus ovato-didymus, angulato-costatus, turgidus. *Petala* acuminata, carinata, incurva. *Involucra* nulla. *Flores* aliquot abortivi.

TABULA 289.

SMYRNIUM PERFOLIATUM.

Smyrnium foliis caulinis simplicibus amplexicaulibus.

S. perfoliatum. *Linn. Sp. Pl.* 376. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1467. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 157.

S. peregrinum, rotundo folio. *Bauh. Pin.* 154. *Tourn. Inst.* 316.

S. peregrinum, oblongo folio. *Bauh. Pin.* 154. *Prodr.* 82.

S. creticum perfoliatum. *Bauh. Hist. v.* 3. *p.* 2. 125.

S. creticum. *Matth. Valgr. v.* 2. 131, *malè*. *Camer. Epit.* 531. *Ger. Em.* 1024.

S. Amani montis. *Dod. Pempt.* 698.

S. verum. *Dalech. Hist.* 707.

Σμυρνιον *Diosc. lib.* 3. *cap.* 79.

In montosis Græciæ, tum in Cretâ et Cypro insulis, vulgaris. ♂.

Radix biennis, oblonga, fibrillosa; extùs fusca. *Herba* undique ferè glabra, nitida, lætè virens; supernè flavescens. *Caulis* solitarius, erectus, cubitalis, aut bipedalis,

Smyrnium perfoliatum?

foliosus, teres, striatus, farctus; apice ramosus, corymbosus, multiflorus; basi rubicundus. *Folia radicalia* pauca, petiolata, triternata; foliolis obovato-cuneiformibus, crenatis, incisis, subindè decurrentibus; *petiolis* angulatis, canaliculatis, ciliatis: *caulina* magna, simplicia, alterna, sessilia, amplexicaulia, cordata, venosa, lætè flavescentia, vel citrina, plùs minùs crenata; infima frequentiùs lobata; summa sensim in *bracteas* diminuta, et passìm opposita, perfoliata, quandoque subintegerrima. *Umbellæ* plures, terminales, solitariæ, citrinæ, multiradiatæ, glabræ, *involucris* et *involucellis* destitutæ. *Umbellulæ* multifloræ, vix radiantes. *Flores* disci regulares, minores, abortivi; radii majores, paululùm irregulares, fertiles. *Perianthium* obsoletum. *Petala* inflexo-obcordata, concava, lutea, extimo paulò majore. *Stamina* petalis duplò longiora, flava. *Germen* ovatum, breve, subangulatum, glaberrimum, disco magno, didymo, nitido, coronatum. *Styli* patentes. *Stigmata* simplicia. *Fructus* didymus, obsoletè costatus, demùm corrugatus, niger. *Semina* magnitudine *Sinapeos*, ferè globosa.

Vix specie discrepare mihi videtur *Smyrnium ægyptiacum*, Linn. Sp. Pl. 376. Amœn. Acad. v. 4. 270, cui folia floralia omnia ferè opposita, subintegerrima.

a, A. Flos radii.
C. Fructus multùm auctus.
b. Umbellula fructifera.
D. Seminis sectio transversa.

PENTANDRIA TRIGYNIA.

RHUS.

Linn. Gen. Pl. 146. *Juss.* 369. *Gærtn. t.* 44.

Calyx quinquepartitus. *Petala* quinque. *Bacca* supera, monosperma.

TABULA 290.

RHUS CORIARIA.

Rhus foliis pinnatis; foliolis ellipticis obtusè serratis: subtùs villosis.

R. Coriaria. *Linn. Sp. Pl.* 379. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1477. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 161. *Ehrh. Beitr. v.* 6. 88. *Dod. Pempt.* 779. *Ger. Em.* 1474. *Woodv. Med. Bot. t.* 261. *Desfont. Atlant. v.* 1. 266.

R. folio ulmi. *Bauh. Pin.* 414. *Tourn. Inst.* 611. *Duham. Arb. v.* 2. 218. *t.* 52.

Rhus. *Matth. Valgr. v.* 1. 195. *Camer. Epit.* 121.

R. sive Sumach. *Bauh. Hist. v.* 1. *p.* 1. 555. *Chabr. Ic.* 44. *Raii Hist. v.* 2. 1590.

R. obsoniorum et coriariorum. *Lob. Ic. v.* 2. 98. *Clus. Hist. v.* 1. 17. *Dale Pharmac.* 344.

Ῥους. *Diosc. lib.* 1. *cap.* 147.

Sumach. *Arab. et Turc.*

Ad viam inter Smyrnam et Bursam; tum in monte Athô, et circà Byzantium. In Peloponnesi montibus vulgaris; sed folia exsiccata ex insulâ Samo præcipuè deportantur. *D. Hawkins.* ♄.

Arbuscula quadripedalis, ramosa, patens, undique ferè pubescens et subincana; ramis teretibus, foliosis, apice floriferis. *Folia* alterna, subsessilia, exstipulata, spithamæa, impari-pinnata; *foliolis* circitèr novenis quindenisve, oppositis, sessilibus, uncialibus vel sesquiuncialibus, ellipticis, variè dentato-serratis, utrinque acutiusculis, minimè acuminatis; suprà scabris, tenuitèr pubescentibus; subtùs pallidioribus, pilosioribus, et mollibus. *Panicula* terminalis, solitaria, alternatìm decomposita, multiflora, pallida, villosa. *Bracteæ* sub singulo flore oppositæ, oblongæ, deciduæ. *Flores* pedicellati, ochroleuci; plures masculi, vel abortivi. *Calycis* laciniæ æquales, oblongæ, obtusæ, concavæ, hirtæ. *Petala* ovata, acuta, recurva, albida, calyce duplò longiora. *Stamina* calyci inserta, petalis alterna, duplòque breviora, æqualia, *antheris* magnis, ovalibus, luteolis. *Germen* superum, parvum, subrotundum, hirtum. *Styli* tres, quandoque abbreviati, vel obsoleti. *Stigmata* obtusa. *Bacca* re-

Rhus Coriaria.

Tamarix gallica?

niformis, basi umbilicata, undique villosa, obsoletè coccinea, gustu acida et astringens. *Semen* majusculum, reniforme, fuscum, læve.

Ῥους, apud Dioscoridem, hujus arbusculæ fructus est, c rubore sic nominatus, qui Græcorum obsoniis aspergebatur. Folia exsiccata antiquitùs, ut et hodiè, ad rem coriariam inservire notissimum est.

a, A. Flos, magnitudine naturali et auctâ.
B. Calyx cum pedicello et bracteis.
c, *c*. Fructus maturus, non auctus.
d. Semen.

TAMARIX.

Linn. Gen. Pl. 148. *Juss.* 313. *Gærtn. t.* 61.

Calyx inferus, quinquepartitus. *Petala* quinque. *Capsula* unilocularis, trivalvis. *Semina* comosa.

TABULA 291.

TAMARIX GALLICA.

Tamarix floribus pentandris, racemis plurimis lateralibus, foliis lanceolatis acutis, ramis glabris.

T. gallica. *Linn. Sp. Pl.* 386. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1498. *Sm. Fl. Brit.* 338. *Engl. Bot. t.* 1318. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 172. *Mill. Ic. t.* 262. *f.* 1. *Desfont. Atlant. v.* 1. 269.

T. altera, folio tenuiore, sive gallica. *Bauh. Pin.* 485.

T. narbonensis. *Dalech. Hist.* 180. *Tourn. Inst.* 661.

Tamariscus narbonensis. *Lob. Ic. v.* 2. 218. *Ger. Em.* 1378.

Myrica. *Camer. Epit.* 74. *f.* 1.

M. sylvestris prima. *Clus. Hist. v.* 1. 40.

Μυρικη *Diosc. lib.* 1. *cap.* 116.

Μυσιικιὰ, ἢ ἀρμυρίκη, *hodiè.*

Il Ghin. *Turc.*

In humidiusculis Græciæ copiosè. ♄.

Arbor humilis, gracilis, ramosissima; *ramis* vimineis, reclinatis, teretibus, glabris, nitidis, sanguineis; *ramulis* alternis vel aggregatis, gracillimis, secundis, foliosis. *Folia* copiosissima, exigua, lanceolata, acuta, vel subacuminata, integerrima, carnosa, glauca, glabra, decidua; basi quandoque elongata, vel subcalcarata; ramorum sparsa, basi sensim dilatata; ramulorum imbricata, subcarinata; omnia ferè enervia

et avenia. *Stipulæ* nullæ. *Racemi* plurimi, laterales, cum solitario terminali majore; omnes densi, cylindracei, multiflori, simplices, glabri. *Bracteæ* sub singulo pedicello solitariæ, lanceolato-subulatæ, glabræ. *Flores* parvi, incarnati, pulchri. *Calyx* campanulatus, semiquinquefidus, æqualis, glaber, persistens. *Petala* obovata, æqualia, calyci alterna, duplòque longiora. *Stamina* quinque, calyci opposita, filiformia, glabra, petalis longiora. *Antheræ* incumbentes, subrotundæ, didymæ, rubræ. *Germen* superum, ovato-triquetrum. *Styli* breves, persistentes, basi connati. *Stigmata* indivisa, obtusa, recurva. *Capsula* subulata, teres, glabra.

a. Flos anticè; *b*. posticè.
C. Flos corollâ orbatus, magnitudine auctus.
D. Petalum seorsìm.
e. Capsula vix matura, calyce persistente suffulta, magnitudine naturali.

CORRIGIOLA.

Linn. Gen. Pl. 149. *Juss.* 313. *Gærtn. t.* 75.

Calyx inferus, pentaphyllus. *Petala* quinque. *Semen* unicum, rotundato-triquetrum.

TABULA 292.

CORRIGIOLA LITTORALIS.

Corrigiola littoralis. *Linn. Sp. Pl.* 388. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1506. *Sm. Fl. Brit.* 339. *Engl. Bot. t.* 668. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 173. *Fl. Dan. t.* 334. *Desfont. Atlant. v.* 1. 270.

C. n. 842. *Hall. Hist. v.* 1. 375.

Polygonifolia. *Dill. Giss. append.* 95. *t.* 3.

Polygoni, vel Linifolia per terram sparsa, flore scorpioides. *Bauh. Hist. v.* 3. *p.* 2. 379. *Tourn. Paris. ed.* 2. *v.* 1. 218, exclusis synonymis C. Bauhini et Lobelii.

Polygonum littoreum minus, flosculis spadiceo-albicantibus. *Bauh. Pin.* 281. *Prodr.* 131. *Moris. v.* 2. 593. *sect.* 5. *t.* 29. *f.* 1.

P. minus, spermate in cauliculorum extremis acervato, thlaspios sapore. *Cupan. Panphyt. v.* 1. *t.* 76.

Circa Byzantium. ⊙.

Radix parva, cylindracea, fibrillosa, annua. *Herba* glauca, lævis atque glaberrima, diffusa, multicaulis. *Caules* ferè prostrati, palmares aut pedales, parùm ramosi, teretes, foliosi, multiflori. *Folia* alterna, petiolata, lineari-lanceolata, obtusa, integerrima,



Centaurium littorale.

A

B

Alsine mucronata.

plana, avenia, subcarnosa; basi attenuata. *Stipulæ* ad petiolorum basin geminæ, semiovatæ, vel lunatæ, acuminatæ, membranaceæ, albæ, formâ et magnitudine variæ. *Flores* extremitatem versus caulium, fasciculati, in spicas vel racemos interruptos aggregati; inferiores subsessiles; superiores pedunculati, thyrsoidei; omnes exigui, glauco albidi, rubicundi. *Bracteæ* minutæ, membranaceæ, floribus interstinctæ. *Calycis* foliola obovata, obtusa, concava; margine membranacea, alba, cum rubore interstincto; post anthesin clausa, persistentia, semen amplectentia. *Petala* nivea, calyci alterna, conformia, et vix longiora. *Stamina* corollâ duplò breviora, *antheris* didymis, albidis. *Germen* parvum, subrotundum. *Styli* breves, patuli. *Stigmata* obtusa. *Semen* nudum, triquetro-subrotundum, corrugatum, nigrum, calycem clausum implens.

C. capensis, Willden. Sp. Pl. v. 1. 1507, ab hâc specie vix distincta nobis visa est.

a, A. Flos. B. Pistillum auctum. *c*, C. Calyx fructifer.
d, D. Semen. Omnia magnitudine naturali et auctâ exhibentur.

ALSINE.

Linn. Gen. Pl. 150. *Juss.* 300. *Gærtn. t.* 129.

Calyx pentaphyllus. *Petala* quinque, æqualia. *Capsula* supera, unilocularis, trivalvis, columellâ liberâ.

TABULA 293.

ALSINE MUCRONATA.

Alsine foliis setaceis patentibus, floribus axillaribus, calycibus aristatis.

A. mucronata. *Linn. Sp. Pl.* 389. *Mant.* 358. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1512. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 175.

Arenaria foliis setaceis, floribus pentandris, calycum foliolis subulatis. *Læfl. It.* 141.

In Asiâ minore. ⊙.

Radix gracilis, parva, fibrillosa. *Caulis* erectus, uncialis vel triuncialis, alternatìm ramosus, foliosus, teres, geniculatus, glaber. *Folia* ad omne geniculum opposita, sessilia, subconnata, patenti-recurva, subulato-setacea, integerrima, acuta, glabra; basin versùs trinervia, paullulùm dilatata, et margine attenuata; apice vix mucronulata. *Flores* axillares, solitarii, pedunculati, erecti, exigui, albi; summi aggregati, aphylli. *Pedunculi* capillares, glabri, ebracteati, foliis breviores, semper erecti. *Calycis* foliola ovato-lanceolata, acuminata, mucronulata, mucronulo setaceo, pallido, sæpiùs obliquè flexo; dorso viridia, subindè pilosiuscula, trinervia, nervis

omnibus æqualibus, viridibus, concoloribus; margine attenuata, membranacea, alba. *Petala* calyce longè breviora, obovata, indivisa, integerrima, nivea. *Stamina* quinque, petalis duplò breviora, *antheris* subrotundis, didymis, rufis. *Germen* parvum, subrotundum, virens. *Styli* tres, breves. *Stigmata* oblonga, patentia, villosa, nivea. *Capsula* calyce longior, cylindracea, cartilaginea, tenuis, ab apice ad basin ferè trivalvis, unilocularis, columellâ centrali, simplici, liberâ. *Semina* plurima, columellæ inserta, reniformi-subrotunda, ferruginea, scabriuscula, nec dentata.

Synonyma difficillima, ob summam hujus affinitatem cum *Arenariâ tenuifoliâ*, cujus fortè varietas pentandra est.

Alsine n. 870, Hall. Hist. v. 1. 384. t. 17. f. 2; et *Alsine* n. 4. Seguier. Veron. v. 3. 173; ad *Arenariam fastigiatam* nostram, Engl. Bot. t. 1744. Compend. Fl. Brit. ed. 3. 70, nervis calycinis albis, nitidis, seminibusque dentatis, notabilem, omninò pertinent.

Lœflingii synonymon speciminibus ex ipso auctore, apud herbarium Linnæanum, confirmatur. Calyx in his etiam, Lœflingio repugnante, marginem membranaceum evidentissimum habet.

A. Flos multùm auctus. B. Stamina et Pistillum.

Statice alliacea.

PENTANDRIA PENTAGYNIA.

STATICE.

Linn. Gen. Pl. 153. *Juss.* 92. *Tourn. t.* 177. *Gærtn. t.* 44.
Limonium. *Tourn. t.* 177. Taxanthema. *Brown Prodr.* 426.

Calyx monophyllus, integer, plicatus, scariosus. *Petala* quinque. *Capsula* supera, unilocularis; basi quinquevalvis. *Semen* unicum.

TABULA 294.

STATICE ALLIACEA.

Statice scapo simplici capitato, foliis lineari-lanceolatis subtrinervibus, aristis calycinis rigidis scabris.

S. alliacea. *Cavan. Ic. v.* 2. 6. *t.* 109. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1523.

In Athô et Hymetto montibus. ♃.

Radix lignosa, teres, nigricans, multiceps, cæspitosa. *Caulis* nullus. *Folia* plurima, radicalia, cæspitosa, erectiuscula, palmaria, lineari-lanceolata, acuta, integerrima, glabra, rigidula, obsoletè trinervia, latitudine varia; basi dilatata, vaginantia. *Scapi* solitarii, erecti, pedales, simplicissimi, teretes, striati, singuli apice tantùm vaginâ brevi, membranaceâ, fuscâ, capitulo affixâ, et, increscente scapo, e foliorum centro elevatâ, vestiti. *Capitulum* solitarium, hemisphæricum, multiflorum, bracteatum, album. *Bracteæ* imbricatæ, ovatæ, concavæ, rufescentes, glabriusculæ, floribus breviores; interiores maximæ, margine dilatatæ, membranaceæ, nitidæ. *Perianthium* elliptico-oblongum, angulosum, angulis setosis; limbo infundibuliformi, membranaceo, tenuissimo, albo, nitidissimo, glaberrimo, plicatili, costis quinque rigidulis, aristatis, scabris. *Petala* obovato-oblonga, patentia, nivea; basi connata, staminifera. *Stamina* petalis breviora, alba. *Antheræ* incumbentes, oblongæ, luteolæ. *Germen* superum, oblongum, glabrum. *Styli* quinque, tomentosi.

S. Armeriæ affinis; differt verò calyce angulis tantùm, nec undique, setoso, ne dicam colore florum, et formâ foliorum.

A. Calyx auctus.
B. Corolla arte expansa, cum staminibus.
C. Pistillum.

TABULA 295.

STATICE BELLIDIFOLIA.

STATICE scapo paniculato tereti, foliis obovato-spatulatis retusis lævibus, calyce mutico obtusiusculo.

Limonium bellidis minimæ folio. *Cupan. Phyt. v.* 1. *t.* 120.

Ad littora maris in Archipelagi insulis. In Rhodo. ♃.

E *Limoniorum* fámiliâ, cujus character ex inflorescentiâ tantùm pendet. *Radix* lignosa, teres, multiceps. *Caulis* nullus. *Folia* radicalia, cæspitosa, plurima, obovato-rotundata, plana, retusa, vel subemarginata, integerrima, coriacea, lævia, nuda, saturatè viridia; basi in *petiolum* linearem, alatum, decurrentia. *Scapi* solitarii, erecti, pedales aut sesquipedales, flexuosi, paniculato-decompositi, subdistichi, angulato-teretes, glaberrimi; ramulis alternis, spicatis, multifloris. *Bracteæ* ovato-triangulares, acutæ, vaginantes, parvæ, sub quâvis scapi divisione solitariæ; sub singulo flore geminæ, minores, cum aliâ majori internâ, triplò longiore, coriaceâ, cylindraceo-involutâ, obliquâ, calycem amplectente; omnes persistentes. *Flores* sessiles, alterni, distichi, parvi. *Perianthium* tubulosum; angulis rubris, pilosis; limbo mutico, membranaceo, albo. *Petala* æqualia; laminâ obcordatâ, patenti, lætè violaceâ; ungue angusto, calyce parùm longiori. *Stamina* gracillima; *antheris* luteis in fauce corollæ. *Germen* oblongum. *Styli* capillares, albi, longitudine vix staminum.

a. Bractea interna, cum duabus exterioribus ad basin, calycem amplectens, magnitudine naturali.
B. Bracteæ auctæ seorsìm.
C. Calyx.
D. Flos completus.
E. Germen cum stylis.

TABULA 296.

STATICE GLOBULARIFOLIA.

STATICE scapo paniculato tereti; ramulis fastigiatis, foliis obovato-spatulatis mucronulatis lævibus, calyce acuto.

S. globulariæfolia. *Desfont. Atlant. v.* 1. 274, ex descriptione.

Limonium medium, globulariæ folio. *Barrel. Ic. t.* 793, 794.

In Siciliæ maritimis. ♃.

Præcedente paulò minor. *Folia* glaucescentia; apice spinoso-mucronulata; margine tenuissimè membranacea. *Paniculæ ramuli* numerosi, breves, coarctati, fastigiati. *Bracteæ* ferè prioris. *Perianthium* pilosum, limbo quinque-partitum, laciniis lanceolatis, acutis. *Petalorum* laminæ angustatæ, obcordato-oblongæ, pallidè purpureæ. *Stamina* exserta. *Styli* staminibus æquales.

a, A. Flos magnitudine naturali et auctâ, cum bracteis. B. Calyx seorsìm.

Statice bellidifolia?

Statice globulariifolia.

Statice palmaris.

Statice viridis.

TABULA 297.

STATICE PALMARIS.

Statice punctato-scabra pruinosa, scapo paniculato tereti strictiusculo, foliis spatulatis obtusis.

Limonium græcum minimum, foliis hyssopi subhirsutis. *Tourn. Cor.* 25. *Herb. Sherard.*

In Asiæ minoris littoribus maritimis. ♃.

Radix lignosa, nigricans; apice subdivisa, multiceps. *Herba* tota punctulato-scabra, quasi pruinosa, lætè virens. *Caulis* nullus. *Folia* uncialia, cæspitosa, numerosa, spatulata, obtusè mucronulata, integerrima, haud marginata, utrinque scabra; suprà canaliculata; in petiolum linearem, basi glabratum, decurrentia. *Scapi* palmares, vel digitales, erectiusculi, teretes, alternatìm ramosi, parùm flexuosi; ramis simplicibus, spicatis, strictiusculis, multifloris. *Bracteæ* ut in præcedentibus. *Flores* alterni, subdistantes, rosei. *Perianthium* glabrum; margine membranaceo, albo, obtusè quinquelobo. *Petala* obcordata.

A. Bracteæ. B. Calyx.
C. Flos, perianthio avulso.
D. Germen cum stylis. Omnia quadruplò ferè aucta.

TABULA 298.

STATICE RORIDA.

Statice punctato-scabra pruinosa, scapo paniculato tereti articulato ramosissimo flexuoso divaricato, foliis spatulatis.

S. echioides. *Prodr. v.* 1. 213. *Linn. Syst. Nat. ed.* 12. *v.* 2. 223, nec *Sp. Pl.* 394. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1527, quoad descriptionem, nec synonyma.

In Cretæ, Cypri et Meli maritimis; etiam inter Scalam novam et Smyrnam. ♃.

Cum præcedente convenit habitu, foliorum magnitudine et figurâ, et pubescentiæ formâ. Differt verò colore magìs glauco; sed præcipuè *Scapis* altioribus, crassis, crebriùs punctatis, ramosissimis, patulis, et valdè flexuosis. *Flores* insupèr copiosiores et majores sunt, dilutè violacei. *Calyx* pilosus, obtusè quinquelobus. *Petalorum* ungues connati.

Hanc, in horto Upsaliensi cultam, cum verâ *S. echioidi* suâ, in utrâque Specierum Plantarum editione notatam, sat negligentèr, confudit Linnæus. Errorem vix creavit similitudo, cùm diversissimæ sunt; vide tabulam 299. Specimen unicum hortense, in herbario Linnæano, malè insignitum, nos anteà fefellit.

a. Calyx cum bracteis. B. Bracteæ auctæ. C. Calyx seorsìm auctus.
d. Corolla cum staminibus, magnitudine naturali. *e*. Germen cum stylis.

TABULA 299.

STATICE ECHIOIDES.

Statice scapis pluribus paniculatis teretibus punctatis; spicis laxis strictiusculis subaggregatis, foliis obovatis scabris.

S. echioides. *Linn. Sp. Pl. ed.* 1. 275. *ed.* 2. 374. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1527, quoad synonyma. *Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 2. 182. *Gouan. Fl. Monsp.* 231. *Obs.* 22. *t.* 2. *f.* 4.

S. aristata. *Prodr. v.* 1. 213. *Sm. in Rees's Cycl. v.* 34.

Limonium minus annuum, bullatis foliis. *Magnol. Monsp.* 157. *t.* 156. *Tourn. Inst.* 342.

L. maritimum annuum, foliis bullatis. *Vallot Hort. Reg. Paris.* 107.

In insulæ Cypri maritimis. ⊙.

Radix simplex, gracilis, fibrillosa, annua. *Caulis* nullus. *Folia* radicalia, numero et magnitudine valdè varia, obovata, obtusa, integerrima, patentia, viridia, demùm rubicunda; suprà tuberculis, plùs minùs copiosis, exasperata; subtùs ferè lævia; basi in *petiolum* alatum decurrentia. *Scapi* plures, digitales aut spithamæi, ramosissimi, adscendentes, teretes, punctato-scabriusculi, *ramis* plerumque aggregatis, inæqualibus, rectiusculis, laxè spicatis, sæpè longissimis, multifloris. *Bracteæ* præcedentium; intimæ punctatæ. *Flores* secundi, sursùm spectantes, rosei, parvi. *Perianthium* glabrum, membranaceum, limbo quinque-partito, costis rigidis, rubris, demùm, membranâ supernè dilapsâ, denudatis, persistentibus, ut ex icone nostrâ patet. *Petala* obcordata. *Antheræ*, cum *Stigmatibus*, paululùm exsertæ.

a. Flos bracteis obvolutus.
B. Bracteæ auctæ.
C. Perianthium, costis apice denudatis.
D. Flos calyce bracteisque orbatus.
E. Stamina cum stylis.

TABULA 300.

STATICE ECHINUS.

Statice foliis subulatis mucronato-pungentibus imbricatis caulinis, bracteis interioribus geminis subæqualibus.

S. Echinus. *Linn. Sp. Pl.* 395. *Willden. Sp. Pl. v.* 1. 1528.

Limonium creticum, juniperi folio. *Tourn. Cor.* 25.

Echinus, id est Tragacantha altera. *Alpin. Exot.* 57. *t.* 56.

In montibus Sphacioticis Cretæ, et in Olympi Bithyni cacumine. ♃.

Habitus a congenerum prorsùs alienus, caulescens, suffruticosus. *Radix* multiceps, lignosa, crassa, ramosa, rugosa, nigra, in terram, vel rupium fissuras, altè descendens.

Statice echioides.

Statice Echinus.

Caules numerosi, vix biunciales, densè cæspitosi, simplices, undique foliosi, apice floriferi. *Folia* imbricata, petiolata, undique patentissima, uncialia, subulata, plana, integerrima, lævia, mucronato-pungentia, persistentia. *Petioli* basi dilatati, vaginantes. *Flores* rosei, terminales, aggregati, terni vel quaterni, plùs minùs pedunculati, quandoque in spicam collecti, numerosiores. *Pedunculi* crassi, pubescentes. *Bracteæ* ovatæ, mucronato-spinosæ, quaternæ; duæ interiores longiores, magisque membranaceæ, subæquales. *Perianthium* infundibuliforme; tubo subpiloso; limbo membranaceo, expanso, quinquenervi, glabro, pentagono, haud lobato. *Petala* obcordata, rubra. *Stamina* unguibus vix longiora, alba. *Antheræ* magnæ, didymæ. *Styli* staminibus paululùm superantes, nivei.

Planta hæc, cæspitibus echinatis, densis, sempervirentibus, lætè floridis, montium cacumina operiens, inter naturæ formosissima spectacula numeranda. Hujus varietas videtur *Limonium orientale frutescens, caryophylli folio in aculeum rigidissimum abeunte,* Tourn. Cor. 25; at Buxbaumii synonymon, a Linnæo citatum, tutiùs, me judice, excludendum, quamvis characteri specifico primario materiem fortè præbuit.

a. Bracteæ interiores.
b. Perianthium.
c. Corolla cum staminibus et stylis.
D. Fœcundationis organa duplò aucta.

FINIS VOLUMINIS TERTII.

LONDINI

IN ÆDIBUS RICHARDI ET ARTHURI TAYLOR

M. DCCC. XXI.

GK315
.S56
v.3
R.B.R.